




STUDIA DIDYMEA HISTORICA
AD SAECULUM QUARTUM PERTINENTIA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

GUALTHARIUS FLORIAN
LIPSIENSIS

R B L

LIPSIAE
DR. SEELE & CO.
MCMVIII

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE

LIPSIUS **WILCKEN**

PROCANCELLARIO

STIEDA

LIPSIAE D. IV. M. Martii A. MCMVIII.

JUSTO HERMANNO LIPSIO

UDALRICO WILCKENIO

Praefatio.

De Didymi commentario felicissimo casu e terra Aegyptiaca ad lucem reducto post editorum Berolinensium curas accuratissime egerunt viri doctissimi Blass, Koerte, Leo, Nitsche, Staehelin, Wendland[1]). Quos secutus est Foucart[2]), cuius librum nuper editum tum demum accepi, cum hanc dissertationem paene perfeci. Totum commentarium accurate pertractans non solum de Didymi ratione interpretandi commentatus est, sed etiam de singulis fragmentis eorum auctorum, quos ille laudavit. Qua opera quamvis optime de Chalcentero sit meritus, tamen de nonnullis fragmentis non omnino recte eum iudicavisse, nonnulla non satis explicavisse mihi est demonstrandum.

---

[1]) Berl. Klassikertexte I. Didymos Kommentar z. Demosthenes (Pap. 9780) bearb. v. H. Diels u. W. Schubart, Berl. 1904. Didymi de Demosthene commenta . . . post edit. Berol. recognoverunt H. Diels et W. Schubart. — F. Blass, Arch. f. Papyrusforsch. III (1903 1906), p. 284 sqq. — A. Koerte, Zu Didymos Demosthenes Commentar, N. Rhein. Mus. LX, 1905, p. 388 sqq.; ibid. vol. LXI, 1906, p. 476 sqq.; Klio V, 1905, p. 280—282. - F. Leo, Nachr. d. Goett. Ges. 1904, p. 254 sqq. — W. Nitsche, Anaximenes u. Demosth. Eine Untersuch., Sonderabdr. a. d. Zeitschr. f. d. Gymnasialw.; Jahresber. d. philol. Vereins z. Berl. LX, 1906, p. 73 sqq. — F. Staehelin, Die griech. Historiker-Fragm. bei Didymos, Klio V, 1905, p. 55—71, 141—154. — P. Wendland, Die Schriftstellerei d. Anaxim. v. Lampsac., Herm. XXXIX, 1904, p. 419; Anaximen. v. Lampsac. Festschr. f. d. XLVIII. Vers. deutsch. Philol. in Hamb., Berl. 1905; Goett. gel. Anz. 1906, p. 362 sqq.

[2]) M. P. Foucart, Étude sur Didymos d'après un papyrus de Berlin. Extrait des Mémoires de l'Académie des Inscript. et Belles Lettres. T. XXXVIII, I. Paris 1907.

Atque primum quidem in ea parte, quam inscripsi „Quo anno doctae sint Aristophanis Ecclesiazusae", egi de Philochori fragmento in Did. col. 7, 19—28 tradito, quod Foucart non satis interpretatus est, et de Epicrate Cephisieo, de quo idem est iudicium Foucarti atque Staehelini, quem hac in re erravisse puto. Ex utraque hac quaestione cepi adiumenta ad Ecclesiazuson tempus accuratius circumscribendum.

Altera parte interpretatus sum nonnulla Theopompi et Philochori fragmenta non acquiescens in eis, quae Staehelin, Foucart alii protulerunt, sed emendavi ea aut novis argumentis confirmavi aut auxi.

Tum quaestionem institui de Iustini librorum VII, v—IX, VIII fontibus, quam adhuc viri docti non nisi obiter tetigerunt.

Denique tractavi Anaximenis libros historicos, quos ad explicandos contulisse aliquid mihi videor.

Reliquum est, ut priusquam ad hanc commentationem me conferam te, lector candide, rogem, ut benigno feras animo, quod Didymo duce modo hanc, modo illam quaestionem aggredior.



Pars I.

Quo anno doctae sint Aristophanis Ecclesiazusae.

a) De pace, quam anno 392/391 Athenienses repudiaverunt.

Quo tempore bello Corinthio, quod vocatur, Sardibus et Spartae de pace deliberatum sit, viri docti valde dissenserunt. Antalcidam ad Tiribazum missum esse exeunte anno 393 Judeich[1]) ob id putat, quod tum res a Lacedaemoniis male gestae sint. Atque de hac quidem re E. Meyer[2]) cum eo videtur consentire ratus hieme anni 393/2 illum ad Tiribazum se contulisse. Beloch[3]) aestate anni 392 Sardes illum missum esse putat. Qui cum post condiciones Sardibus repudiatas Spartae esse de pace deliberatum consentiant, aliter res disposuit E. Schwartz[4]), qui haec scripsit „Antalcidas iter illud fecit, postquam Athenienses pacem Andocideam reiecerunt."

Ad hanc quaestionem solvendam felici casu fundamentum suppeditavit Philochori fragmentum in Did. col. 7, 19—28 traditum. Inde enim apparet archontis Philoclis anno (392/1) ab Atheniensibus spretas esse et eas condiciones, quas Graecis rex Persarum obtulerat, et eas, de quibus cum Lacedaemoniis convenerat Andocidi, Epicrati, Eubulidi, Cratino, illorum legatis. Atque hoc de fragmento iam egerunt Staehelin[5]), van Leeu-

---

1) W. Judeich, Kleinasiat. Stud., p. 83. Paulyi-Wissowae Real-Encykl. v. I col. 2344.

2) E. Meyer, Gesch. d. Altert. V, p. 249, § 865.

3) Beloch, Griech. Gesch. II, p. 203; cf. etiam eius libri, qui inscribitur Die Attische Politik, p. 348 (Zur Chronol. d. Korinth. Krieges)

4) E. Schwartz, Ind. lect. Rostoch. 1893, p. 11.

5) F. Staehelin, Klio V, p. 56.

wen[1]), Foucart[2]). Quod cum illi non nisi praetereundo tetigerint, Foucart accuratius explicavit. Sed non omnia recte explanavit. Neque enim fere quicquam protulit de rebus chronologicis neque recte iudicavit de rationibus, quae inter utramque actionem de pace habitam intercedant.

Apud Xenophontem (Hell. IV, 8, 12–16) legimus bello Corinthio, quod vocatur, a Lacedaemoniis Antalcidam ad Tiribazum esse missum, ut hunc de Atheniensium consiliis certiorem faceret. Quod quo anno factum sit, non apparet. Vix Athenienses, Argivi, Thebani, tum societatis vinculo coniuncti, hoc cognoverant, cum ipsi quoque legatos ad Tiribazum miserunt[3]). Hic autem eis condicionibus, quas Antalcidas tulerat, usus postulavit, ut Graecae civitates Asiae sub dominatione Persarum essent, ceterae autem civitates Graecae suis quaeque legibus uterentur. Quae cum Lacedaemoniis, qui tum omnia fere, quae post annum 404 expugnaverant, amiserant, nulli detrimento essent, a ceteris Graecis nequaquam concedi potuerunt. Itaque Antalcidae condicionibus spretis legati infectis rebus domum reverterunt. Ad has actiones Sardibus habitas pertinent haec Philocherei fragmenti verba „*καὶ τὴν εἰρήνην τὴν ἐπ' Ἀντ|αλκίδου κατέπεμψεν ὁ βασιλεύς, ἣν Ἀθηναῖοι οὐκ ἐδέξαντο διότι ἐγέγραπτο ἐν αὐτῇ τοὺς τὴν Ἀσίαν οἰκοῦντας Ἕλληνας ἐν βασιλέως οἴκῳ*[4]) *πάντας εἶναι συννενεμημένους.*“ Videmus igitur ex Philochori testimonio Antalcidae condiciones reiectas esse anno 392/1. Accuratius actionum tempus infra definiemus.

[1]) Van Leeuwen, Arist. Ecclesiaz., Lugd. Bat. 1905, pag. XXI., scripsit eadem via qua Schwartz profectus haec „anno 393/2 Epicrates Andocides Cratinus Eubulides Spartam missi sunt et inde reduces pacem frustra suaserunt Athenis, mox (anno 392/1) Sardibus de pace denuo est deliberatum.“

[2]) Foucart, Étude sur Didymos, pag. 167.

[3]) Xen. Hell. IV, 8, 15; IV, 8, 13 proferuntur nomina legatorum Atheniensium (*ἀντιπέμπουσι πρέσβεις . . . Ἑρμογένη καὶ Δίωνα καὶ Καλλισθένη καὶ Καλλιμέδοντα*).

[4]) Verbotenus fere ex Darei epistula haec deprompta esse demon-

Posteriore autem in fragmenti parte legimus eodem anno 392/1 ab Atheniensibus in ius vocatos esse *τοὺς πρέσβεις τοὺς ἐν Λακεδαίμονι συγχωρήσαντας*. Atque statim viderunt viri docti hanc legationem esse eandem, de qua egit Andocides tertia oratione, quae inscribitur *περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης*.

Quibus autem causis commoti Athenienses Spartam legatos de pace deliberaturos miserunt? Ad hanc quaestionem respondit Foucart (p. 168) his verbis „Les subsides fournis par Tiribaze à Antalcidas et l'arrestation de Conon inquiétèrent les Athéniens.“ Hoc minime puto. Nequit enim ita explicari, qui factum sit, ut Athenienses has condiciones, quae erant multo meliores eis, quas Sardibus spreverant, repudiarent. Si cum Foucartio faceremus, putaremus eos fuisse tum animis timidis atque abiectis. Re vera autem eos fuisse alacres atque elatos spe pristini imperii maritimi recuperandi ex eis patet, quae a Lacedaemoniis postulaverunt. Multo enim plura exigebant quam eis Sardibus concesserant et Persae et Lacedaemonii et ipsi eorum socii (Andoc. III, 15). Atque Lacedaemonii eis permittebant, ut muros atque Imbrum, Lesbum, Scyrum obtinerent et naves quotquot vellent aedificarent (Andoc. III, 14). Quibus causis commoti haec concesserint, non exponit Foucart. Itaque consentio cum Eduardo Meyer[1]), qui censet Athenienses post magnam illam cladem, qua Thibro a Strutha erat affectus, cum illis de pace egisse[2]). Atque eo facilius Athenienses hac occasione cum Lacedaemoniis de pace agendi usos esse puto, quod ex actionibus

stravit Diels (Did. comment. ed. Berol. pag. 30). De verbis *καταπέμπειν τὴν εἰρήνην* disputaverunt Fuhr (Berl. Philol. Wochenschr. 1904, Nr. 36, col. 1129) et Foucart (l. c. pag. 167, 1). Lacunam in col. 7, 16/17 hiantem mihi recte videtur explevisse Wendland (Goett. Gel. Nachr. 1906, p. 366), his verbis *παρ' [ἄ]νο[ιαν ὡς Φιλό]χορος*, cum *παρανοοῦντες*, quod proposuit Deuerling (Neue Phil. Rundsch. 1905, Nr. 19, p. 439), spatio longius sit.

[1]) E. Meyer, Gesch. d. Altert. V, pag. 253.

[2]) Strutham obiter commemoravit Foucart p. 169, 1.

Sardibus habitis cognoverant regem atque ipsos socios ne insulas quidem Imbrum, Lesbum, Scyrum, sibi concessuros esse. Neque vero dubito, quin tum Athenis fuerint, qui maluerint sibi cum Lacedaemoniis quam cum rege de pace convenire. Atque testis mihi est Andocides ipse.

Probatam esse intellegimus Philochori fragmento opinionem eorum, qui anno 392/1 Andocidis orationem esse habitam putaverunt. Qui cum commemoret priorem Lechaei[1]) expugnationem, quae facta est paulo ante Hyacinthia, quae mense Maio agebantur[2]), apertum est vix ante mensem Maium Athenis de condicionibus a Lacedaemoniis concessis deliberatum esse[3]). Idem iudicabis, si consideraveris apud Andocidem esse scriptum (Andoc. III, 20) quattuor iam annos belli Corinthii praeterisse, cuius initium factum est anno 395. Qua de causa cum Lipsio consentiendum est, qui in editione Andoc. orat. haec scripsit[1]) „A quibus ego id unum dissentio, quod illi hiemi a. 392/1 orationem tribuunt, ego a. 391 initium praefero, quo minimum de quattuor illis annis subtrahatur," dummodo, cum belli initium factum sit a. 395 aestate[3]), cogitemus de fine anni archontis Philoclis.

Atque Philochorus testatur uno et eodem anno Philoclis archontis et condiciones Sardibus a Tiribazo et Spartae a Lacedaemoniis oblatas ab Atheniensibus spretas esse. Ex eis autem, quae supra exposui, apparet cum Lacedaemoniis post Struthae victoriam de pace actum esse. Itaque inter utramque de pace actionem multa inserenda sunt. Revertuntur legati Sardibus in Graeciam, Tiribazus iter facit ad regem, Struthas in illius satrapiam missus bellum parat, Lacedaemonii vincuntur. Quorum cladis nuntius in Graeciam affertur et ab Atheniensibus legati Spartam mit-

---

[1]) Andoc. III, 18. Conferas velim ea, quae Lipsius in ed. Andoc. orat. p. XI, 38 exposuit.

[2]) Unger, Philol. XXXVII, 1877, p. 13—16. Beloch, Gr. Gesch. II, 206, 2. Nilsson, Gr. Feste, p. 129; p. 135.

[3]) E. Meyer, l. c. V, p. 229. Oxyrh. Pap. V, Nr. 842, col. 11,34 „τούτου τοῦ θέρους."

tuntur. Spartae de pace deliberatur et legati redeunt Athenas. Videmus igitur, cum talibus itineribus non exiguum temporis intervallum sit consumptum, satis longum temporis spatium inter actiones de pace Sardibus atque Athenis habitas intercessisse. Itaque probabile est initio Philoclis anni, i. e. medio anno 392, Sardibus repudiatas esse condiciones Antalcidae. Qui quo tempore ad Tiribazum venerit, accuratius definiri non potest nisi quod eum in Asiam se contulisse probabile est, postquam Cono Athenarum muris refectis profectus est, ut pristinum Atheniensium imperium maritimum restitueret. Itaque suspicor illum ineunte anno 392 Tiribazum convenisse. Strutham autem, si Meyerum secutus non iniuria conieci post cladem Thibronis Athenienses cum Lacedaemoniis egisse, veri est simile anni 391 initio cum Lacedaemoniis congressum esse[1]).

Hoc quidem mihi videor demonstravisse initio anni Philoclis archontis Tiribazi condiciones spretas esse et sub eiusdem anni finem Athenis deliberatum esse de pace. Atque in omnibus fere quaestionibus, quae sunt de rebus chronologicis belli Corinthii, niti necesse est hoc fundamento.

Pauca sunt addenda eis, quae Foucart (l. c.) scripsit de causis, quibus Athenienses commoti sint, ut pacem Sardibus repudiarent. Aliam enim profert Xenophon, aliam Philochorus. Ille narrat Athenienses pacem reiecisse, ne Lemno, Imbro, Scyro insulis privarentur, hic eos noluisse permittere, ut Graeci in Asia habitantes sub Persarum essent dominatione Neque vero Philochorus, qui cum omnino solebat ex optimis fontibus haurire, tum hoc quoque loco decretis ipsis usus videtur sua composuisse summa diligentia[2]), hic protulit falsa. Etiamsi mihi persuasi non ea causa, quam affert Philochorus, Athenienses permotos esse, ut pacem oblatam respuerent, non habemus, cur de eius auctoritate diffidamus. Immo vero

---

[1]) Cf. etiam Beloch, Die attische Politik, pag. 353.

[2]) Cf. pag. 4, 4. Philochorum inspexisse Callistrati decretum veri simile est ob id, quod non solum Callistrati et legatorum nomina proferuntur, sed etiam eorum demotica.

videtur hic adisse ipsum populi decretum. Verisimile enim est Athenienses, quod eorum non intererat ipsas causas, quibus commoti pacem non sanxissent, cum aliis Graecis communicare, simulavisse se nolle concedere Graecos in Asia habitantes sub Persarum dominatione fore. Huc puto accessisse, quod sperabant facilius animos Graecorum in Asia habitantium recuperaturos se esse, si pronuntiarent se a Persis eos tutaturos esse. Aliter autem Foucart (pag. 168) de hac re iudicavit his verbis „Ce fut cette clause honteuse pour la Grèce, qui fit rejeter le traité. Notre annaliste témoigne ici d'une certaine naïveté.“ Eiusmodi causis tum nequaquam Athenienses commoti sunt. Immo id egerunt, ut pristinum suum imperium maritimum restituerent[1]). Atque Spartae eos postulavisse *Χερρόνησον καὶ τὰς ἀποικίας καὶ τὰ ἐγκτήματα καὶ τὰ χρέα* apparet ex Andocidis orationis paragrapho 15.

Cum vero traditum esset in argumento[2]) ad tertiam Andocidis orationem scripto „*Ἀθηναῖοι πρέσβεις ἀπέστειλαν πρὸς Λακεδαιμονίους αὐτοκράτορας· ὧν ἐστι καὶ Ἀνδοκίδης*“ dubitari potuit sintne merito legati damnati. Qua de re nos accuratius iudicare possumus. Nam id decretum, quod in Dem. XIX, § 277 partim laudatur, illud est, quod Callistratus in legatos hac legatione functos scripsit. Atque legimus ibi eos damnatos esse, quod contra populi mandata egissent. Condiciones igitur quasdam, quibus pacem offerrent, Spartae remiserant. Quacum re optime congruunt haec Philochori verba „*τοὺς πρέσβεις τοὺς ἐν Λακεδαίμονι συγχωρήσαντας.*“ Condiciones autem quales fuerint intellegimus ex Andocidis loco supra commemorato (or. III, § 15). Neque ab his decreti verbis, quae a Demosthene laudantur „*ἠλέγχθησάν τινες*

---

[1]) Etiam paulo ante pacem anno 387/386 factam Athenienses conatos esse imperium maritimum restituere constat. Cf. Lipsius (Beiträge zur Gesch. griech. Bundesverfass. Sitzungsber. d. Sächs. Ges. d. Wissenschaft. 1898, pag. 145).

[2]) Per errorem id Foucart assignat Libanio (p. 172); auctor eius est incertus.

αὐτῶν . . . . καταψευδόμενοι τῶν συμμάχων“ discrepat, quod Andocides maxime Argivis adversatus est[1]). Legatos sibi conscios fuisse contra populi iussa se egisse etiam ex eo apparet, quod, quanquam erant missi *αὐτοκράτορες*, cum Lacedaemoniis ita sunt pacti, ut Atheniensibus liceret intra quadraginta dies pacem aut sancire aut repudiare. Itaque illud „*αὐτοκράτορες*“[2]) ita est interpretandum, ut pacem sancire potuerint, si eas condiciones, quas Athenienses eis mandaverant, impetravissent. Atque iure Andocidem eiusque collegas eis suasisse, ut bellum componerent, nemo est qui neget. Vix enim meliores condiciones impetraturos se esse sperare potuerunt, praesertim cum Thebani pacem a Lacedaemoniis oblatam accipere vellent[3]). Sed pacis condiciones antiquaverunt Athenienses et legatos reos fecerunt[4]).

Restat, ut pauca proferam de Callistrato, cum de Epicrate proximo capite sim disputaturus. Aphidnaeum Callicratis filium, qui Epaminondae temporibus principem in re publica Atheniensium locum obtinuit, eum esse Kirchner[5]), Fuhr[6]), Foucart[7]) coniecerunt; quod ne concedamus non impedimur eo, quod notum est eum ante pugnam Leuctricam Lacedaemoniis favisse[8]), cum anno 391 eis adversatus esse videatur. Nam cum, ut Atheniensium potentiam augeret, id agere soleret, ut apud eos esset res Graecas decernere, primum videtur operam dedisse, ut Lacedaemoniorum vis frangeretur, deinde Atheniensibus suasit, ut illos adiuvarent, ne Thebanorum potentia nimis amplificaretur. Considerantibus nobis eum

---

[1]) Andoc. III, 9, 24–27.

[2]) Quanam auctoritate Graecorum legati *αὐτοκράτορες* fuerint explicat Fr. Poland (De legat. Graec. publ. diss. Lips. 1885).

[3]) Andoc. III, 20.

[4]) Cf. Staehelin, p. 62; Lipsius, Att. Recht und Rechtsverfahren I, p. 189, 37.

[5]) Kirchner, Prosopogr. Att. 8157; II p. 468.

[6]) Fuhr, l. c., col. 1124.

[7]) Foucart, l. c., p. 169.

[8]) E. Meyer, Gesch. d. Altert. V, p. 415; 426.

anno 392/391 fuisse iuvenem non est improbabile eum tum secutum esse auctoritatem avunculi[1]) Agyrrhi Collytensis, quem illis temporibus summa in re publica auctoritate usum esse discimus cum ex aliis testimoniis tum hoc Ecclesiazusarum loco[2])

„Ἀγύρριος . . . .
„Νυνὶ δ', ὁρᾷς, πράττει τὰ μέγιστ' ἐν τῇ πόλει."

b) De Epicrate Cephisieo.

Unus ex legatis, quos Athenienses suadente Callistrato anno 391 in exilium miserunt, fuit Epicrates Cephisieus, quem eundem esse constat atque Epicratem, cui erat cognomen σακεσφόρος[3]). Cui Platonem comicum in fabula, quae erat inscripta Πρέσβεις, illusisse ex eis fragmentis[4]) apparet, quae hic sequuntur. Atque legimus in fragm. 119

Κᾆτ' ἔλαβον Ἐπικράτης τε καὶ Φορμίσιος
παρὰ τοῦ βασιλέως πλεῖστα δωροδοκήματα,
ὀξύβαφα χρυσᾶ καὶ πινακίσκους ἀργυροῦς,

in fragm. 120

κυάθους ὅσους ἐκλεπτέτην ἑκάστοτε,

in fragm. 121

σκευάρια δὴ κλέψας ἀπεκήρυξ' ἐκφέρων,

in fragm. 124

χαίρεις, οἶμαι, μεταπεττεύσας αὐτὸν διακλιμακίσας τε,
τὸν ὑπηνόβιον σπαρτιοχαίτην ῥυποκόνδυλον ἑλκετρίβωνα.

---

[1]) Dem. XXIV, 135. De Andocidis et Agyrrhi inimicitiis cogitat Foucart (p. 169, 3).

[2]) Arist. Eccles. 104.

[3]) Kirchner (Prosopogr. Att. Nr. 4859 I, p. 321; II, p. 457), Staehelin (l. c. p. 55).

[4]) Comic. Att. Fragm. ed. Kock I, p. 632, fragm. 119—127.

Ex eadem fabula hausit scholiasta Aristophanis[1]), qui ad Eccles. vs. 71 adnotavit „Ἐπικράτους (οὗτος εἰς δασύτητα κωμῳδεῖται). ἦν δὲ ῥήτωρ καὶ δημαγωγός. οὗτος μέγαν πώγωνα ἔχων ἐπεκαλεῖτο σακεσφόρος καὶ Πλάτων ὁ κωμικός φησιν· ἄναξ ὑπήνης Ἐπίκρατες σακεσφόρε.“ Quo scholio demonstratur Epicratem, cui illudit Plato, esse eum, in quem scripsit Aristophanes haec[2])

ΠΡ. ἔχετε δὲ τοὺς πώγωνας, οὓς εἴρητ' ἔχειν
πάσαισιν ἡμῖν, ὁπότε συλλεγοίμεθα;
Γ. α. νὴ τὴν Ἑκάτην, καλόν γ' ἔγωγε τουτονί.
Γ. β. κἄγωγ' Ἐπικράτους οὐκ ὀλίγῳ καλλίονα.

Atque cognoscimus ex fragmento 119 illum una cum Phormisio[3]) ad regem Persarum missum atque, si vera sunt, quae comicus poeta eis crimini dat, donis corruptum esse. Deinde Demosthenes[4]) haec de Epicrate exhibet „κατὰ τουτὶ τὸ ψήφισμα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν πρέσβεων ἐκείνων ὑμεῖς θάνατον κατέγνωτε, ὧν εἷς ἦν Ἐπικράτης, ἀνήρ, ὡς ἐγὼ τῶν πρεσβυτέρων ἀκούω, σπουδαῖος καὶ πολλὰ χρήσιμος τῇ πόλει καὶ τῶν ἐκ Πειραιῶς καταγαγόντων τὸν δῆμον καὶ ἄλλως δημοτικός.“ Proximis autem verbis commemorat eum una cum ceteris legatis coargutum esse contra populi mandata egisse, quod senatui populoque falsa rettulissent, quod socios calumniati essent, quod dona accepissent. Itaque eos capitis damnatos esse, sed fugisse.

Tertius testis est Aristides rhetor[5]), qui in libro, qui inscribitur Panathenaicus, haec scripsit „τήν τε γὰρ εἰρήνην ἔσχατοι τῶν Ἑλλήνων συνεχώρησαν (οἱ Ἀθηναῖοι) καὶ οὐ πρό-

---

[1]) Platon. fragm. 122.

[2]) Arist. Eccles. 68—71.

[3]) Ad Phormisium spectant vs. Arist. Ran. 965 et 966, quibus adduntur in scholiis haec „Δίδυμός φησιν ὅτι Φορμίσιος δραστικὸς ἦν καὶ τὴν κόμην τρέφων καὶ φοβερὸς δοκῶν εἶναι. διὸ καὶ Αἰσχύλου μαθητὴν αὐτόν φησιν εἶναι. βαθὺς δὲ ἦν καὶ καθίει τὸν πώγωνα, κωμῳδεῖται δὲ καὶ εἰς δωροδοκίαν.“

[4]) Dem. XIX, 277.

[5]) Aristid. I, p. 282 (ed. Dind.) et schol. III, p. 277 (ed. Dind.).

τερον πρὶν ἔγνωσαν, ὅτι οὐ μόνον Λακεδαιμονίοις ἅμα καὶ βασιλεῖ καὶ Σεύθῃ καὶ Διονυσίῳ καὶ Πελοποννησίοις ἀνάγκη πολεμεῖν, ἐπεὶ πρὸς τοῦτό γε ὑπῆρχον παρεσκευασμένοι, ἀλλὰ καὶ τοῖς συμμάχοις τοῖς σφετέροις αὐτῶν. οὕτω προὐδόθησαν καὶ οὐδ' οὕτως ἁπάσαις ταῖς ψήφοις ὑπέμειναν, ἀλλὰ τῶν γε πεισάντων κατέγνωσαν," quibus verbis scholiasta haec adiecit[1]) „εἰς Ἐπικράτην αἰνίττεται, ὃς ἔπεισεν Ἀθηναίους δι' ἅσπερ ἴσμεν αἰτίας δέξασθαι τὴν εἰρήνην."

Huc accedit, quod etiam Lysiae oratione 27 de causa quadam Epicratis agitur, de qua infra sum disserturus. Neque omittam Hegesandrum[2]) et Plutarchum[3]) narrare Epicratem δωροδοκίας accusatum, quod legatus ad regem Persarum missus donis corruptus esset, sed absolutum esse. Apud Philochorum autem legimus eum cum aliis legatis anno 391 Spartam missis in exilium eiectum esse.

Cum tot testimoniis comperiamus Epicratem παραπρεσβείας accusatum esse, tamen apud alios auctores eum absolutum legimus, apud alios eum damnatum esse. Atque Platonis fragmenta, Demosthenis locum, Aristidis narrationem, scholion huic adiectum, haec omnia ad pacem anno 386 Antalcida auctore factam atque ad eam legationem, qua paulo ante perfunctus esset Epicrates, pertinere adhuc viri docti putaverunt[4]). Cum his autem testimoniis contendit ille locus Philochoreus, ex quo apparet Epicratem anno 391 Athenis fugisse. Neque enim puto hoc loco Philochorum erravisse[5]). An quisquam credit illum, qui anno 391 παραπρεσβείας accusatus in exilium eiectus est, paulo post revocatum et ita honoratum esse, ut denuo ei legationis munus deferretur, atque hac legatione perfunctum iterum παραπρεσβείας accu-

---

[1]) Cf. pag. 11, 5.

[2]) Hegesandri fragm. 7, F. H. G. IV, p. 414.

[3]) Plut. Pelop. 30.

[4]) In primis laudandi sunt Meyer (Gesch. d. Altert. V, p. 268, 307, 310), Beloch (Griech. Gesch. II, 232), Kirchner (Prosopogr. Att. 4859).

[5]) Immo vero eum accuratissime usum esse decreto in legatos scripto supra commemoravi.

satum atque iterum in exilium missum esse? Praeterea ex Demosthenis atque Aristidis verbis, quae supra laudavi, apparet cum Epicrate complures legatos damnatos esse. Dinarchus[1]) autem testatur Phormisium, qui cum Epicrate ad regem missus est[2]), unum fuisse ex eis, qui non multo post Thebanis favebant. Itaque vix est probabile eum tum esse damnatum.

Haec testimonia quo modo sunt coniungenda?

Ac primum tenendum est incertum esse quemnam ad annum Platonis versus pertineant. Adversantur igitur ea sola, quae legimus apud Aristidem eiusque scholiastam, Philochoro. Quam discrepantiam Staehelin[3]) ita explicare conatus est, ut pronuntiaret scholiastam, quem saepius falsa protulisse certum esset, etiam hic erravisse. Quam ob rem ait Philochori ut auctoris diligentissimi testimonium praeferendum esse scholio. Quo argumento, etiamsi vera esset coniectura, non multum lucraremur. Nam Aristides ipse scripsit *τῶν γε πεισάντων κατέγνωσαν*. Estne necesse cum Staehelino putare etiam illum hic falsa rettulisse, praesertim cum ea, quae paulo ante narravit, a veritate non abhorreant?

At illa Aristidis verba suntne ad eos legatos referenda, qui anno 386 de pace egerunt? Nonne est magni momenti, quod nullo alio testimonio accepimus legatos anni 386 exilio

---

1) Din. I, 38; Schaefer, Demosth. u. s. Zeit, I², p. 143. Kirchner, Prosopogr. Att. Nr. 14945 II, p. 391. E. Meyer, Gesch. d. Altert. V, p. 310.

2) Platonis fragm. 119.

3) Staehelin, p. 61 „Wir haben einfach zu wählen: entweder die Angaben des Philochorus oder diejenigen des Aristeidesscholiasten müssen falsch sein. Ich glaube, die Wahl würde uns selbst dann nicht schwer fallen, wenn der Nachricht des Rhetors Aristeides, wonach die beim Königsfrieden beteiligten Gesandten verurteilt worden wären, nicht von vornherein gewichtige Bedenken entgegenständen. Der Atthidograph . . . . verdient unbedingt den Vorzug vor dem späten Scholiasten, der sich auch sonst gerade falsche Kombinationen und Mißverständnisse nachweislich hat zu Schulden kommen lassen (vgl. v. Wilamowitz, Aristot. und Athen II, 86, Anm. 25, auch I, 263, Anm. 5)."

esse multatos? Nonne obstat hic locus Isocratis[1]) „διὸ καὶ τῶν πρεσβευσάντων ταύτην τὴν εἰρήνην (sc. a. 386) δικαίως ἂν κατηγοροῖμεν, ὅτι πεμφθέντες ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων ὑπὲρ τῶν βαρβάρων ἐποιήσαντο τὰς συνθήκας“? Quem, quanquam non spectat ad Atheniensium solos legatos, in hac oratione, quam non multo post pacem factam conscripsit, vehementius in Atheniensium legatos invecturum fuisse pro certo habeo, si re vera rei facti essent. Inspicias quaeso totum Aristidis locum supra laudatum. Nihil aliud dicere studuit ille nisi Athenienses tum demum pacem fecisse, cum omnibus opibus spoliati essent. Atque haec verba „τῶν γε πεισάντων κατέγνωσαν“ pertinent ad Epicratem, Andocidem, Eubulidem, Cratinum, qui anno 391 Lacedaemone reversi eas rettulerunt Atheniensibus condiciones, quas anno 386 acceperunt. Notum erat nescio unde Aristidi in bello initio saeculi quarti inter Graecos gesto eos legatos, qui ea condicione pacem suaserant, ne pristinum imperium recuperarent, ab Atheniensibus accusatos esse, erravit autem, quod haec verba „τῶν γε πεισάντων κατέγνωσαν“ ita scripsit, ut ad pacem anno 386 sanctam referenda sint. Utrum ignoraverit legatos anni 391, non anni 386 reos factos esse an parum diligenter illa verba conscripserit nescimus. Scholiastae autem erat notum nescio quo ex fonte in illo bello, cuius finem fecit Antalcidas, Epicratem legati munere functum accusatum esse ab Atheniensibus. Itaque Aristidis verba rettulit ad pacem, quam frustra suasit Epicrates anno 391, atque adscripsit eis „εἰς Ἐπικράτην αἰνίττεται, ὃς ἔπεισεν Ἀθηναίους . . . δέξασθαι τὴν εἰρήνην.“ Haec igitur non obstant Demosthenis atque Philochori verbis, quibus nos nitimur.

Nunc ad alia testimonia transeo. In Lysiae orationis, quae in Epicratem scripta est, paragrapho tertia legimus haec „καὶ οὐ νῦν πρῶτον ὤφθησαν, ἀλλὰ καὶ πρότερον δώρων ἐκρίθησαν.“ Cognoscimus igitur iam ante eam causam, in qua Lysiae oratio habita est, Epicratem δωροδοκίας accusatum esse.

---

[1]) Isocr. IV, 177; Staehelin p. 61.

Quo tempore hoc factum est? Memineris Hegesandri et Plutarchi narrationem, ex qua apparet Epicrati ad Persas misso crimini datum esse, quod dona accepisset. Neque dubium est, quin haec historiola, quanquam eam pro nihilo habet Eduardus Meyer[1]), pertineat ad causam a Lysia commemoratam, ad quam ne ea Platonis fragmenta[2]), quibus de Epicratis et Phormisii legatione Persica agitur, referamus nulla re impedimur. Dixerit fortasse quispiam paragrapho quarta Lysiae orationis, ubi legimus „*καὶ ὑμῖν ἔχω ἐπικαλέσαι ὅτι τοῦ αὐτοῦ ἀδικήματος Ὀνομάσαντος*[3]) *μὲν κατεψηφίσασθε, τούτου δὲ ἀπεψηφίσασθε,*“ demonstrari Epicratis collegam damnatum esse. Cui opponam Bergkii[4]) sententiam, qui haec adnotavit „illud dubium est, utrum aliquis intellegendus sit, qui tunc una cum Epicrate eiusdem criminis fuerit reus an exemplum aliunde petitum proponatur.“ Phormisium autem tum damnatum non esse[5]) Lysias consulto praeteriit silentio, ut nihil nisi id, quod Epicrati erat iniquum, proferret.

Iam ad eam causam pervenimus, in qua habita est Lysiae oratio XXVII, quam inscripsit Theodorus grammaticus quidam ita „*κατὰ Ἐπικράτους καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν ἐπίλογος*“[6]). Quod in § 1 est scriptum „*κατηγόρηται μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Ἐπικράτους ἱκανὰ καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν*“ putavit Thalheim[7]) Epicratem *παραπρεσβείας* accusatum esse, quod iam antea Schoell, Hentschel, Blass negaverant[8]) atque firmis

---

[1]) E. Meyer (Gesch. d. Altert. V, p. 269). Lipsius (Das attische Recht u. Rechtsverf. I, p. 189, 37) et Naber (Mnemosyne, 1899, p. 203) putant optimo iure hanc narrationem ortam esse ex iocis comici poetae.

[2]) Plat. fragm. 119, 120, 121.

[3]) Nomen est corruptum. Cf. ea, quae Thalheim in editione sua adnotavit.

[4]) Bergk, De rel. com. Att. p. 390 adn.

[5]) Din. I, 38.

[6]) De hoc titulo scripsit Blass, Gesch. d. att. Beredsamk. I[1], p. 445; I[2], p. 452/453.

[7]) Thalheim, Jahrb. f. klass. Philol. CXVII (1878), p. 553.

[8]) Schoell, Quaest. fiscal. iur. Att. (Berl.) 1873, p. 17. Hentschel, Quaest. de Lys. orat. Epicratea cap. duo. (Misenae) p. 14. Blass, l. l. I[1], p. 445.

argumentis refutaverant. Cum vero in reliquis huius epilogi paragraphis nulla illius legationis mentio fiat et in §§ 3, 6, 7, 10, 11 Epicrati et aliis reis crimini detur, quod in munere publico administrando peculatum fecerint, rectius de oratione ii iudicaverunt, qui Epicratem aliosque reos εὐθυνῶν in ius vocatos esse putaverunt[1]). Atque in §§ 9 et 10 legimus haec „οὗτοι μὲν γὰρ ἐν τῷ πολέμῳ ἐκ πενήτων πλούσιοι γεγόνασιν ἐκ τῶν ὑμετέρων ... καὶ γάρ τοι εἰς τοσοῦτον ἥκομεν, ὥςθ' οἱ πρότερον ἐν τῇ εἰρήνῃ οὐδὲ σφᾶς αὐτοὺς ἐδύναντο τρέφειν, νῦν ὑμῖν εἰςφορὰς εἰςφέρουσι καὶ χορηγοῦσι καὶ οἰκίας μεγάλας οἰκοῦσιν". Hinc apparet Epicratem in bello ditatum esse, quod nondum compositum est[2]). Cum vero ille fuerit ex eis, qui populum Athenas reduxerant[3]), de uno Corinthio, quod vocatur, bello cogitari potest, quod anno 395/394 ortum esse constat[4]). Quia autem secundum Philochorum Epicrates anno 391 reus factus est et ex verbis „ἐν τῷ πολέμῳ ἐκ πενήτων πλούσιοι γεγόνασιν" elucet aliquantum belli Corinthii spatium praeterisse, licet censere illum non multo ante annum 392/391 εὐθυνῶν accusatum et absolutum esse.

Videmus igitur, ut eorum, quae dixi, summam complectar, Epicratem ter esse in ius vocatum. Primum post annum 493 ad regem Persarum legatus missus redux παραπρεσβείας reus factus est, deinde non multo ante Philoclem archontem per εὐθυνῶν formulam arcessitus, postremo anno 391 iterum παραπρεσβείας accusatus est. In illis causis absolutus, in hac una cum collegis capite damnatus, sed fuga servatus est[5]).

---

[1]) Hentschel, l. c. p. 25; Lipsius, Att. Recht u. Rechtsverf. II, p. 286, 287, 2.

[2]) Hoc recte iudicavit Thalheim l. c. p. 555.

[3]) Dem. XIX, 277.

[4]) Epicratem paulo ante hoc bellum multum Athenis valuisse apparet ex Hellenicis nuperrime editis (Oxyrh. Pap. V, p. 145, col. I, 35; col. II, 10), ubi legimus eum eiusque amicos id egisse, ut Athenienses bellum inirent cum Lacedaemoniis „ἵν' αὐτοῖς ἐκ τῶν κοινῶν ᾖ χρηματίζεσθαι."

[5]) Lipsius (l. c. p. 189, 37) et Staehelin (p. 62) exposuerunt recte Philochori et Demosthenis verbis usi legatos a. 391 capite damnatos

Si consideravimus Epicratem in Lysiae oratione ita descriptum esse, ut improbissimus atque sceleratissimus fuisse videatur, cum Demosthenes haec de eo tradiderit „*ἀνὴρ, ὡς ἐγὼ τῶν πρεσβυτέρων ἀκούω, σπουδαῖος καὶ πολλὰ χρήσιμος τῇ πόλει καὶ τῶν ἐκ Πειραιῶς καταγαγόντων τὸν δῆμον καὶ ἄλλως δημοτικός*“, tenendum est ab illo eum accusari, ab hoc laudari *τὸν ἐκ Πειραιῶς καταγαγόντα τὸν δῆμον καὶ ἄλλως δημοτικόν.* Atque novum testimonium traditum est in Hellenicis nuperrime editis[1]), quibus non solum confirmatur Epicratem a Timocrate Rhodio corruptum esse[2]), sed etiam haec leguntur „*ἐμίσουν . . . τοὺς Λακεδαιμονίους . . . οἱ δ' ἐν ταῖς Ἀθήναις*[3]) *ἐπιθυμοῦντες ἀπαλλάξαι τοὺς Ἀθηναίους τῆς ἡσυχίας καὶ τῆς εἰρήνης καὶ προαγαγεῖν ἐπὶ τὸ πολεμεῖν καὶ πολυπραγμονεῖν, ἵν' αὐτοῖς ἐκ τῶν κοινῶν ᾖ χρηματίζεσθαι.*“ Quae verba editores Britannici a Theopompo, quem omnes praeter Blassium huius libri auctorem esse putant, ob id conscripta esse existimant[4]), quia ille ut unus ex optimatibus minime Atheniensium *δημαγωγοῖς* faverit. Sed memor sis, candide lector, talia Epicrati non ab uno Theopompo data esse crimini. Ditatum esse eum bello Corinthio legimus in Lysiae oratione (*οὗτοι.. ἐν τῷ πολέμῳ ἐκ πενήτων πλούσιοι γεγόνασιν*). Nec solum a Timocrate Rhodio corruptum eum esse, sed etiam una cum Phormisio[5]) a rege Persarum dona accepisse supra comme-

---

esse, sed exules abisse. Confirmatur nunc, quod olim dubium videbatur, testimonium in Plutarchi, qui fertur, vita Andocidis (p. 835 A) et apud Photium (cod. 281) servatum, ubi legimus „(*Ἀνδοκίδης*) *αἱρεθεὶς δὲ περὶ τῆς εἰρήνης εἰς Λακεδαίμονα πρεσβεύειν καὶ ἀδικεῖν δόξας ἔφυγεν.*“

[1]) Pap. Oxyrh. V, 842, col. I, 35 sqq. col. II, 10 sqq.

[2]) Paus. III, 9, 8. Pap. Oxyrh. V, p. 204.

[3]) i. e. Epicrates et Cephalus cf. col. I, 30.

[4]) Pap. Oxyrh. V, p. 205. Postquam haec scripsi, etiam W. Croenert (Litter. Zentralbl. 1908, col. 23) et G. de Sanctis (L'Attide di Androzione e un papiro di Oxyrhynchos, Atti d. R. Acad. d. Scienze di Tor. 1908, XLIII) hunc librum abiudicant Theopompo.

[5]) In Theopompi qui fertur Hellenicon col. I, v. 30 omnino non potest cogitari de Epicrate Cephisieo. Paulo infra enim legimus illos legatos ad Persas missos a Lacedaemoniis supplicio affectos esse. Accedit,

anno 392/391 fuisse iuvenem non est improbabile eum tum secutum esse auctoritatem avunculi[1]) Agyrrhi Collytensis, quem illis temporibus summa in re publica auctoritate usum esse discimus cum ex aliis testimoniis tum hoc Ecclesiazusarum loco[2])

„Ἀγύρριος . . . .
„Νυνὶ δ', ὁρᾷς, πράττει τὰ μέγιστ' ἐν τῇ πόλει."

b) De Epicrate Cephisieo.

Unus ex legatis, quos Athenienses suadente Callistrato anno 391 in exilium miserunt, fuit Epicrates Cephisieus, quem eundem esse constat atque Epicratem, cui erat cognomen σακεσφόρος[3]). Cui Platonem comicum in fabula, quae erat inscripta Πρέσβεις, illusisse ex eis fragmentis[4]) apparet, quae hic sequuntur. Atque legimus in fragm. 119

Κᾆτ' ἔλαβον Ἐπικράτης τε καὶ Φορμίσιος
παρὰ τοῦ βασιλέως πλεῖστα δωροδοκήματα,
ὀξύβαφα χρυσᾶ καὶ πινακίσκους ἀργυροῦς,

in fragm. 120

κυάθους δ' ὅσους ἐκλεπτέτην ἑκάστοτε,

in fragm. 121

σκευάρια δὴ κλέψας ἀπεκήρυξ' ἐκφέρων,

in fragm. 124

χαίρεις, οἶμαι, μεταπεττεύσας αὐτὸν διακλιμακίσας τε,
τὸν ὑπηνόβιον σπαρτιοχαίτην ῥυποκόνδυλον ἑλκετρίβωνα.

---

1) Dem. XXIV, 135. De Andocidis et Agyrrhi inimicitiis cogitat Foucart (p. 169, 3).

2) Arist. Eccles. 104.

3) Kirchner (Prosopogr. Att. Nr. 4859 I, p. 321; II, p. 457), Staehelin (l. c. p. 55).

4) Comic. Att. Fragm. ed. Kock I, p. 632, fragm. 119—127.

Ex eadem fabula hausit scholiasta Aristophanis[1]), qui ad Eccles. vs. 71 adnotavit „*Ἐπικράτους (οὗτος εἰς δασύτητα κωμῳδεῖται). ἦν δὲ ῥήτωρ καὶ δημαγωγός. οὗτος μέγαν πώγωνα ἔχων ἐπεκαλεῖτο σακεσφόρος καὶ Πλάτων ὁ κωμικός φησιν· ἄναξ ὑπήνης Ἐπίκρατες σακεσφόρε.*" Quo scholio demonstratur Epicratem, cui illudit Plato, esse eum, in quem scripsit Aristophanes haec[2])

ΠΡ. ἔχετε δὲ τοὺς πώγωνας, οὓς εἴρητ' ἔχειν
πάσαισιν ἡμῖν, ὁπότε συλλεγοίμεθα;
Γ. α. νὴ τὴν Ἑκάτην, καλόν γ' ἔγωγε τουτονί.
Γ. β. κἄγωγ' Ἐπικράτους οὐκ ὀλίγῳ καλλίονα.

Atque cognoscimus ex fragmento 119 illum una cum Phormisio[3]) ad regem Persarum missum atque, si vera sunt, quae comicus poeta eis crimini dat, donis corruptum esse. Deinde Demosthenes[4]) haec de Epicrate exhibet „*κατὰ τουτὶ τὸ ψήφισμα, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν πρέσβεων ἐκείνων ὑμεῖς θάνατον κατέγνωτε, ὧν εἷς ἦν Ἐπικράτης, ἀνήρ, ὡς ἐγὼ τῶν πρεσβυτέρων ἀκούω, σπουδαῖος καὶ πολλὰ χρήσιμος τῇ πόλει καὶ τῶν ἐκ Πειραιῶς καταγαγόντων τὸν δῆμον καὶ ἄλλως δημοτικός.*" Proximis autem verbis commemorat eum una cum ceteris legatis coargutum esse contra populi mandata egisse, quod senatui populoque falsa rettulissent, quod socios calumniati essent, quod dona accepissent. Itaque eos capitis damnatos esse, sed fugisse.

Tertius testis est Aristides rhetor[5]), qui in libro, qui inscribitur Panathenaicus, haec scripsit „*τήν τε γὰρ εἰρήνην ἔσχατοι τῶν Ἑλλήνων συνεχώρησαν (οἱ Ἀθηναῖοι) καὶ οὐ πρό-*

---

[1]) Platon. fragm. 122.

[2]) Arist. Eccles. 68—71.

[3]) Ad Phormisium spectant vs. Arist. Ran. 965 et 966, quibus adduntur in scholiis haec „*Δίδυμός φησιν ὅτι Φορμίσιος δραστικὸς ἦν καὶ τὴν κόμην τρέφων καὶ φοβερὸς δοκῶν εἶναι. διὸ καὶ Αἰσχύλου μαθητὴν αὐτόν φησιν εἶναι. βαθὺς δὲ ἦν καὶ καθίει τὸν πώγωνα, κωμῳδεῖται δὲ καὶ εἰς δωροδοκίαν.*"

[4]) Dem. XIX, 277.

[5]) Aristid. I, p. 282 (ed. Dind.) et schol. III, p. 277 (ed. Dind.).

τερον πρὶν ἔγνωσαν, ὅτι οὐ μόνον Λακεδαιμονίοις ἅμα καὶ βασιλεῖ καὶ Σεύθῃ καὶ Διονυσίῳ καὶ Πελοποννησίοις ἀνάγκη πολεμεῖν, ἐπεὶ πρὸς τοῦτό γε ὑπῆρχον παρεσκευασμένοι, ἀλλὰ καὶ τοῖς συμμάχοις τοῖς σφετέροις αὐτῶν. οὕτω προὐδόθησαν καὶ οὐδ᾽ οὕτως ἁπάσαις ταῖς ψήφοις ὑπέμειναν, ἀλλὰ τῶν γε πεισάντων κατέγνωσαν," quibus verbis scholiasta haec adiecit[1]) „εἰς Ἐπικράτην αἰνίττεται, ὃς ἔπεισεν Ἀθηναίους δι᾽ ἅσπερ ἴσμεν αἰτίας δέξασθαι τὴν εἰρήνην."

Huc accedit, quod etiam Lysiae oratione 27 de causa quadam Epicratis agitur, de qua infra sum disserturus. Neque omittam Hegesandrum[2]) et Plutarchum[3]) narrare Epicratem δωροδοκίας accusatum, quod legatus ad regem Persarum missus donis corruptus esset, sed absolutum esse. Apud Philochorum autem legimus eum cum aliis legatis anno 391 Spartam missis in exilium eiectum esse.

Cum tot testimoniis comperiamus Epicratem παραπρεσβείας accusatum esse, tamen apud alios auctores eum absolutum legimus, apud alios eum damnatum esse. Atque Platonis fragmenta, Demosthenis locum, Aristidis narrationem, scholion huic adiectum, haec omnia ad pacem anno 386 Antalcida auctore factam atque ad eam legationem, qua paulo ante perfunctus esset Epicrates, pertinere adhuc viri docti putaverunt[4]). Cum his autem testimoniis contendit ille locus Philochoreus, ex quo apparet Epicratem anno 391 Athenis fugisse. Neque enim puto hoc loco Philochorum erravisse[5]). An quisquam credit illum, qui anno 391 παραπρεσβείας accusatus in exilium eiectus est, paulo post revocatum et ita honoratum esse, ut denuo ei legationis munus deferretur, atque hac legatione perfunctum iterum παραπρεσβείας accu-

[1]) Cf. pag. 11, 5.

[2]) Hegesandri fragm. 7, F. H. G. IV, p. 414.

[3]) Plut. Pelop. 30.

[4]) In primis laudandi sunt Meyer (Gesch. d. Altert. V, p. 268, 307, 310), Beloch (Griech. Gesch. II, 232), Kirchner (Prosopogr. Att. 4859).

[5]) Immo vero eum accuratissime usum esse decreto in legatos scripto supra commemoravi.

satum atque iterum in exilium missum esse? Praeterea ex Demosthenis atque Aristidis verbis, quae supra laudavi, apparet cum Epicrate complures legatos damnatos esse. Dinarchus[1]) autem testatur Phormisium, qui cum Epicrate ad regem missus est[2]), unum fuisse ex eis, qui non multo post Thebanis favebant. Itaque vix est probabile eum tum esse damnatum.

Haec testimonia quo modo sunt coniungenda?

Ac primum tenendum est incertum esse quemnam ad annum Platonis versus pertineant. Adversantur igitur ea sola, quae legimus apud Aristidem eiusque scholiastam, Philochoro. Quam discrepantiam Staehelin[3]) ita explicare conatus est, ut pronuntiaret scholiastam, quem saepius falsa protulisse certum esset, etiam hic erravisse. Quam ob rem ait Philochori ut auctoris diligentissimi testimonium praeferendum esse scholio. Quo argumento, etiamsi vera esset coniectura, non multum lucraremur. Nam Aristides ipse scripsit *τῶν γε πεισάντων κατέγνωσαν*. Estne necesse cum Staehelino putare etiam illum hic falsa rettulisse, praesertim cum ea, quae paulo ante narravit, a veritate non abhorreant?

At illa Aristidis verba suntne ad eos legatos referenda, qui anno 386 de pace egerunt? Nonne est magni momenti, quod nullo alio testimonio accepimus legatos anni 386 exilio

---

[1]) Din. I, 38; Schaefer, Demosth. u. s. Zeit, I[2], p. 143. Kirchner, Prosopogr. Att. Nr. 14945 II, p. 391. E. Meyer, Gesch. d. Altert. V, p. 310.

[2]) Platonis fragm. 119.

[3]) Staehelin, p. 61 „Wir haben einfach zu wählen: entweder die Angaben des Philochorus oder diejenigen des Aristeidesscholiasten müssen falsch sein. Ich glaube, die Wahl würde uns selbst dann nicht schwer fallen, wenn der Nachricht des Rhetors Aristeides, wonach die beim Königsfrieden beteiligten Gesandten verurteilt worden wären, nicht von vornherein gewichtige Bedenken entgegenständen. Der Atthidograph . . . . verdient unbedingt den Vorzug vor dem späten Scholiasten, der sich auch sonst gerade falsche Kombinationen und Mißverständnisse nachweislich hat zu Schulden kommen lassen (vgl. v. Wilamowitz, Aristot. und Athen II, 86, Anm. 25, auch I, 263, Anm. 5).“

esse multatos? Nonne obstat hic locus Isocratis[1]) „διὸ καὶ τῶν πρεσβευσάντων ταύτην τὴν εἰρήνην (sc. a. 386) δικαίως ἂν κατηγοροῖμεν, ὅτι πεμφθέντες ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων ὑπὲρ τῶν βαρβάρων ἐποιήσαντο τὰς συνθήκας“? Quem, quanquam non spectat ad Atheniensium solos legatos, in hac oratione, quam non multo post pacem factam conscripsit, vehementius in Atheniensium legatos invecturum fuisse pro certo habeo, si re vera rei facti essent. Inspicias quaeso totum Aristidis locum supra laudatum. Nihil aliud dicere studuit ille nisi Athenienses tum demum pacem fecisse, cum omnibus opibus spoliati essent. Atque haec verba „τῶν γε πεισάντων κατέγνωσαν“ pertinent ad Epicratem, Andocidem, Eubulidem, Cratinum, qui anno 391 Lacedaemone reversi eas rettulerunt Atheniensibus condiciones, quas anno 386 acceperunt. Notum erat nescio unde Aristidi in bello initio saeculi quarti inter Graecos gesto eos legatos, qui ea condicione pacem suaserant, ne pristinum imperium recuperarent, ab Atheniensibus accusatos esse, erravit autem, quod haec verba „τῶν γε πεισάντων κατέγνωσαν“ ita scripsit, ut ad pacem anno 386 sanctam referenda sint. Utrum ignoraverit legatos anni 391, non anni 386 reos factos esse an parum diligenter illa verba conscripserit nescimus. Scholiastae autem erat notum nescio quo ex fonte in illo bello, cuius finem fecit Antalcidas, Epicratem legati munere functum accusatum esse ab Atheniensibus. Itaque Aristidis verba rettulit ad pacem, quam frustra suasit Epicrates anno 391, atque adscripsit eis „εἰς Ἐπικράτην αἰνίττεται, ὃς ἔπεισεν Ἀθηναίους . . . δέξασθαι τὴν εἰρήνην.“ Haec igitur non obstant Demosthenis atque Philochori verbis, quibus nos nitimur.

Nunc ad alia testimonia transeo. In Lysiae orationis, quae in Epicratem scripta est, paragrapho tertia legimus haec „καὶ οὐ νῦν πρῶτον ὤφθησαν, ἀλλὰ καὶ πρότερον δώρων ἐκρίθησαν.“ Cognoscimus igitur iam ante eam causam, in qua Lysiae oratio habita est, Epicratem δωροδοκίας accusatum esse.

---

[1]) Isocr. IV, 177; Staehelin p. 61.

Quo tempore hoc factum est? Memineris Hegesandri et Plutarchi narrationem, ex qua apparet Epicrati ad Persas misso crimini datum esse, quod dona accepisset. Neque dubium est, quin haec historiola, quanquam eam pro nihilo habet Eduardus Meyer[1]), pertineat ad causam a Lysia commemoratam, ad quam ne ea Platonis fragmenta[2]), quibus de Epicratis et Phormisii legatione Persica agitur, referamus nulla re impedimur. Dixerit fortasse quispiam paragrapho quarta Lysiae orationis, ubi legimus *„καὶ ὑμῖν ἔχω ἐπικαλέσαι ὅτι τοῦ αὐτοῦ ἀδικήματος Ὀνομάσαντος*[3]) *μὲν κατεψηφίσασθε, τούτου δὲ ἀπεψηφίσασθε,“* demonstrari Epicratis collegam damnatum esse. Cui opponam Bergkii[4]) sententiam, qui haec adnotavit „illud dubium est, utrum aliquis intellegendus sit, qui tunc una cum Epicrate eiusdem criminis fuerit reus an exemplum aliunde petitum proponatur.“ Phormisium autem tum damnatum non esse[5]) Lysias consulto praeteriit silentio, ut nihil nisi id, quod Epicrati erat iniquum, proferret.

Iam ad eam causam pervenimus, in qua habita est Lysiae oratio XXVII, quam inscripsit Theodorus grammaticus quidam ita *„κατὰ Ἐπικράτους καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν ἐπίλογος“*[6]). Quod in § 1 est scriptum *„κατηγόρηται μέν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Ἐπικράτους ἱκανὰ καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν“* putavit Thalheim[7]) Epicratem *παραπρεσβείας* accusatum esse, quod iam antea Schoell, Hentschel, Blass negaverant[8]) atque firmis

---

[1]) E. Meyer (Gesch. d. Altert. V, p. 269). Lipsius (Das attische Recht u. Rechtsverf. I, p. 189, 37) et Naber (Mnemosyne, 1899, p. 203) putant optimo iure hanc narrationem ortam esse ex iocis comici poetae.

[2]) Plat. fragm. 119, 120, 121.

[3]) Nomen est corruptum. Cf. ea, quae Thalheim in editione sua adnotavit.

[4]) Bergk, De rel. com. Att. p. 390 adn.

[5]) Din. I, 38.

[6]) De hoc titulo scripsit Blass, Gesch. d. att. Beredsamk. I^1, p. 445; I^2, p. 452/453.

[7]) Thalheim, Jahrb. f. klass. Philol. CXVII (1878), p. 553.

[8]) Schoell, Quaest. fiscal. iur. Att. (Berl.) 1873, p. 17. Hentschel, Quaest. de Lys. orat. Epicratea cap. duo. (Misenae) p. 14. Blass, l. l. I^1, p. 445.

esse multatos? Nonne obstat hic locus Isocratis[1]) „διὸ καὶ τῶν πρεσβευσάντων ταύτην τὴν εἰρήνην (sc. a. 386) δικαίως ἂν κατηγοροῖμεν, ὅτι πεμφθέντες ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων ὑπὲρ τῶν βαρβάρων ἐποιήσαντο τὰς συνθήκας“? Quem, quanquam non spectat ad Atheniensium solos legatos, in hac oratione, quam non multo post pacem factam conscripsit, vehementius in Atheniensium legatos invecturum fuisse pro certo habeo, si re vera rei facti essent. Inspicias quaeso totum Aristidis locum supra laudatum. Nihil aliud dicere studuit ille nisi Athenienses tum demum pacem fecisse, cum omnibus opibus spoliati essent. Atque haec verba „τῶν γε πεισάντων κατέγνωσαν“ pertinent ad Epicratem, Andocidem, Eubulidem, Cratinum, qui anno 391 Lacedaemone reversi eas rettulerunt Atheniensibus condiciones, quas anno 386 acceperunt. Notum erat nescio unde Aristidi in bello initio saeculi quarti inter Graecos gesto eos legatos, qui ea condicione pacem suaserant, ne pristinum imperium recuperarent, ab Atheniensibus accusatos esse, erravit autem, quod haec verba „τῶν γε πεισάντων κατέγνωσαν“ ita scripsit, ut ad pacem anno 386 sanctam referenda sint. Utrum ignoraverit legatos anni 391, non anni 386 reos factos esse an parum diligenter illa verba conscripserit nescimus. Scholiastae autem erat notum nescio quo ex fonte in illo bello, cuius finem fecit Antalcidas, Epicratem legati munere functum accusatum esse ab Atheniensibus. Itaque Aristidis verba rettulit ad pacem, quam frustra suasit Epicrates anno 391, atque adscripsit eis „εἰς Ἐπικράτην αἰνίττεται, ὃς ἔπεισεν Ἀθηναίους . . . δέξασθαι τὴν εἰρήνην.“ Haec igitur non obstant Demosthenis atque Philochori verbis, quibus nos nitimur.

Nunc ad alia testimonia transeo. In Lysiae orationis, quae in Epicratem scripta est, paragrapho tertia legimus haec „καὶ οὐ νῦν πρῶτον ὤφθησαν, ἀλλὰ καὶ πρότερον δώρων ἐκρίθησαν.“ Cognoscimus igitur iam ante eam causam, in qua Lysiae oratio habita est, Epicratem δωροδοκίας accusatum esse.

[1]) Isocr. IV, 177; Staehelin p. 61.

Quo tempore hoc factum est? Memineris Hegesandri et Plutarchi narrationem, ex qua apparet Epicrati ad Persas misso crimini datum esse, quod dona accepisset. Neque dubium est, quin haec historiola, quanquam eam pro nihilo habet Eduardus Meyer[1]), pertineat ad causam a Lysia commemoratam, ad quam ne ea Platonis fragmenta[2]), quibus de Epicratis et Phormisii legatione Persica agitur, referamus nulla re impedimur. Dixerit fortasse quispiam paragrapho quarta Lysiae orationis, ubi legimus „*καὶ ὑμῖν ἔχω ἐπικαλέσαι ὅτι τοῦ αὐτοῦ ἀδικήματος Ὀνομάσαντος*[3]) *μὲν κατεψηφίσασθε, τούτου δὲ ἀπεψηφίσασθε,*" demonstrari Epicratis collegam damnatum esse. Cui opponam Bergkii[4]) sententiam, qui haec adnotavit „illud dubium est, utrum aliquis intellegendus sit, qui tunc una cum Epicrate eiusdem criminis fuerit reus an exemplum aliunde petitum proponatur." Phormisium autem tum damnatum non esse[5]) Lysias consulto praeteriit silentio, ut nihil nisi id, quod Epicrati erat iniquum, proferret.

Iam ad eam causam pervenimus, in qua habita est Lysiae oratio XXVII, quam inscripsit Theodorus grammaticus quidam ita „*κατὰ Ἐπικράτους καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν ἐπίλογος*"[6]). Quod in § 1 est scriptum „*κατηγόρηται μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Ἐπικράτους ἱκανὰ καὶ τῶν συμπρεσβευτῶν*" putavit Thalheim[7]) Epicratem *παραπρεσβείας* accusatum esse, quod iam antea Schoell, Hentschel, Blass negaverant[8]) atque firmis

---

[1]) E. Meyer (Gesch. d. Altert. V, p. 269). Lipsius (Das attische Recht u. Rechtsverf. I, p. 189, 37) et Naber (Mnemosyne, 1899, p. 203) putant optimo iure hanc narrationem ortam esse ex iocis comici poetae.

[2]) Plat. fragm. 119, 120, 121.

[3]) Nomen est corruptum. Cf. ea, quae Thalheim in editione sua adnotavit.

[4]) Bergk, De rel. com. Att. p. 390 adn.

[5]) Din. I, 38.

[6]) De hoc titulo scripsit Blass, Gesch. d. att. Beredsamk. I[1], p. 445; I[2], p. 452/453.

[7]) Thalheim, Jahrb. f. klass. Philol. CXVII (1878), p. 553.

[8]) Schoell, Quaest. fiscal. iur. Att. (Berl.) 1873, p. 17. Hentschel, Quaest. de Lys. orat. Epicratea cap. duo. (Misenae) p. 14. Blass, l. l. I[1], p. 445.

luerunt cum illo facere quam cum Atheniensibus. Neque eorum animos commutatos esse experti sunt Athenienses anno 344/343, ubi eis Argivi atque Messenii opprobrio dederunt, quod Lacedaemonios adiuvissent[1]).

Optime igitur quadrant Theopompi verba ad id tempus, quo primum Athenis de pace Philocratea deliberatum est.

Atque restant haec „*Χίους δὲ καὶ Ῥοδίους καὶ τοὺς τούτων συμμάχους πρὸς μὲν τὴν πόλιν ἐχθρῶς διακειμένους, Φιλίππῳ δὲ περὶ φιλίας διαλεγομένους*".

Quae quanquam maximi momenti sunt, cum perpauca sint testimonia, quae ad res in his insulis Philocratis aetate factas pertinent, adhuc non satis sunt explicata.

De Chiis nihil aliud ante Didymi commentarium repertum erat notum nisi post pacem cum Atheniensibus factam optimates rerum potitos esse. Tum, cum Demosthenes orationem de libertate Rhodiorum habuit, Chii erant liberi imperio Carum[2]). Sed legimus in quinta eius oratione[3]) haec „*ἐῶμεν ... τὸν Κᾶρα τὰς νήσους καταλαμβάνειν Χίον καὶ Κῶν καὶ Ῥόδον*". Quibus ex verbis utrum appareat anno 346 illas insulas fuisse sub Carum potestate an ab Atheniensibus Cares non prohiberi Chios, Coos, Rhodios domare infra videndum est. Atque ex hac Philocratis oratione, quam habitam esse antequam pax ipsa sancta esset Theopompus finxit, patet inter annum 351 et annum 346 Chios suis ipsorum legibus usos et Rhodios a Caribus liberatos esse. Quos ab Atheniensibus fuisse abalienatos mirum non est, utpote qui ab eis non multo ante defecissent. Huc accedebat, quod ab eis repulsi erant, cum anno 351 auxilium contra Cares petivissent[4]). Quod solus eis ferre potuit Philippus, quocum secundum Theopompum sub annum 347 de foedere faciendo egerunt. Quoniam ille apud omnes civitates paucorum dominationi

---

[1]) Schaefer II² p. 355.

[2]) Dem. XV, 3; cf. Judeich, Kleinasiat. Stud. p. 244.

[3]) Dem. V, 25.

[4]) Cf. van Gelder, Gesch. d. alt. Rhodier p. 93.

favebat, haud dubium est, quin tum Chiorum et Rhodiorum potestatem tenuerint optimates, qui Rhodi quidem iam paulo ante rem publicam administraverunt[1]). Neque existimaverim nos ex illo loco Demosthenico, quem supra exscripsi, certa quidem coniectura concludere posse anno 346 Chios, Rhodios, Coos fuisse sub potestate Carum. Nihil aliud Demosthenes dixisse mihi hic videtur nisi ab Atheniensibus hos non prohiberi illos domare. Hoc quidem constat anno 340/339 neque Rhodios neque Chios[2]) fuisse sub Caribus. Byzantiis enim auxilio tum venerunt. Si vero accurate examinaverimus haec Theopompi verba „*Χίους δὲ καὶ Ῥοδίους καὶ τοὺς τούτων συμμάχους*", discemus illud foedus, quo bello sociali coniuncti Chii, Rhodii, Coi Atheniensibus restiterunt, nondum solutum aut iterum ictum esse. Si enim reputaveris post pacem, quam vocant, Antalcideam Rhodios Chios Samios alios societatem inisse, ut se a Persis defenderent[3]), existimabis consentaneum fuisse etiam tum eos foedere coniunctos esse, ne a Caribus opprimerentur. Atque veri est simile inter Chiorum et Rhodiorum socios fuisse eos, qui bello sociali ab Atheniensibus defecerant, Byzantios[4]) dico et Coos[5]).

De foedere autem, quod tum cum Philippo icturi erant, nihil accepimus nisi Byzantios etiam anno 342[6]) cum eo

---

[1]) Cf. pag. 26 not. 4.

[2]) Cf. Judeich, l. l. p. 244, p. 248; van Gelder, l. c. p. 94. De Chiis nihil aliud proferre possumus propter auctorum et monumentorum silentium. Ne ille quidem titulus, quem primus Kirchhoff (Monatsber. d. Acad. d. Wissenschaften zu Berlin 1863 p. 265), nuper Dittenberger S. I. G. I² Nr. 139) tractavit, ad res Chias, quod putavit Judeich, l. c. p. 252, respicit, sed Chium Erythris delatus est. Cf. Arch. Zeitung 1864, XXII p. 147* et 186*.

[3]) Cf. Beloch II p. 216.

[4]) Byzantios etiam prioris foederis participes fuisse demonstratur tridrachmo nuper invento. Cf. K. Regling, Ein Tridrachmon von Byzantion, Zeitschr. f. Numasmat. 1905 XXV p. 3.

[5]) De Cois cf. ea, quae supra commemoravi.

[6]) Dem. De cor. 87.

coniunctos fuisse. Sed paulo post Chii et Rhodii eis auxilio venerunt, cum ab illo obsiderentur[1]).

Videmus igitur hoc Theopompi fragmento non solum ea, quae nobis iam nota erant, confirmata, sed etiam singula, quae alibi non commemorata sunt, ab oblivione vindicata esse.

Nunc autem examinemus ea, quae Theopompus Aristophontem de rei publicae Atheniensium statu inducit contionantem.

Primum quidem a veritate non aberravit, quod Athenas appellat maximam Graecarum urbem. Nam et Demosthenis temporibus et proximo saeculo numero incolarum atque murorum circuitu omnes Graeciae urbes superaverunt[2]). Quanquam iam multi socii desciverant, tamen ab Aristophonte, qui commemorat magnum eorum numerum, inania non proferri putabimus, si ea, quae Beloch[3]) de Atheniensium sociis scripsit, inspexerimus. Atque addendi sunt Mytilenaei, qui anno 347 de integro se ad Atheniensium societatem applicaverant[4]).

Quod Theopompus scripsit trieres trecentas fuisse, iam Staehelin[5]) in comparationem vocavit catalogum navalem anno 353/352 confectum, in quo trecentae undequinquaginta naves numerantur[6]). Neque vero praetermittam a Demosthene saepe eundem navium numerum commemoratum esse[7]). qua de re infra sum disputaturus.

Iam accedamus ad ea Theopompi verba, quibus Didymus interpretari studet hunc locum „*τετρακόσια ἀντὶ τῶν ἑκατὸν ταλάντων προςέρχεται*“ (Dem. X, 38). Quo de loco viri docti dubita-

[1]) Propter illud *κοινόν* Chiorum, Coorum, Rhodiorum, de quo supra egi, non consentio cum Foucartio, qui haec scripsit (p. 122) „l'orateur a peut-être généralisé un fait, qui n'est exact que pour Byzance en particulier“.

[2]) Beloch, Die Bevölkerung d. Griech. Welt p. 100.

[3]) Beloch, Griech. Gesch. II, 500, 1. Staehelin, l. c. p. 148.

[4]) Schaefer l. l. I² p. 481.

[5]) Staehelin l. c. p. 148.

[6]) I. G. II, II 795 p. 185; cf. Beloch, Gr. Gesch. II, 508, 2.

[7]) Dem. XIV, 13; 20; 29.

verunt sitne verum quondam vectigalia Atheniensium ita minuta esse, ut non plus centum talenta redirent[1]). Quod factum esse post pugnam apud Aegos flumen commissam legimus in Did. col. 8, 50. Quanquam testimonium, quod protulit Didymus, nescio qua causa excidit, non est, cur de hac re diffidamus, cum quantopere post illam pugnam opes vectigaliaque Atheniensium minuta sint satis constet[2]). Eubuli autem maxime opera ea ita aucta esse, ut sub annum 346 quadringentorum talentorum fuerint, ex Theopompi fragmento coniectare possumus[3]). At mirum est, quod nullo alio loco tale quid traditum est. Nonne licet suspicari Theopompum haec ex illo loco, quem interpretatur Didymus, hausisse ita, ut hic circulo quasi vitioso hunc locum confirmare studeat eis verbis, quae ex eo petita sunt? Atque scimus rerum scriptores Graecos quarti saeculi usos esse oratoribus Atticis. Theopompus autem adhibuit cum alios oratores tum Demosthenem[4]). Huc accedit, quod ex Theopompi fragmento in Did. col. 4, 66 servato, quo de Hermia agitur, apparet haec verba „*ἀνάσπαστος ὡς βασιλέα γενόμενος*“ illum eidem orationi (Phil. IV.) debere[5]). Atque totius fragmenti ex

---

[1]) Boeckh, Staatsh. d. Ath. I³ p. 510; II³ p. 100* Anm. 684. Schaefer l. l. III², B. p. 102.

[2]) Boeckh l. l.; Buechsenschuetz, Besitz u. Erwerb i. gr. Altert. p. 600. E. Meyer, Gesch. d. A. V p. 222. Beloch, Gr. Gesch. II, 191.

[3]) Cf. Boeckh, l. c., qui hoc Lycurgi aetate factum esse putat. Cf. etiam A. Koerte, Rhein. Mus. LX (1905) p. 397.

[4]) F. Reuß, Jahrb. für klass. Philol. XLII (1896) pag. 322, (Diodoros u. Theopompos), et Burs. Jahresber. 1905, p. 37, (Die griech. Historiker etc.) et R. Schubert, Unters. über die Quellen zur Gesch. Phil. II. von Macedon. p. 7, a quibus ego id dissentio, quod nego nos demonstrare posse firmis argumentis Theopompum hausisse ex Demosthene aut alio ex oratore eo, quod Diodori verba similia sunt alicuius rhetoris loco.

[5]) Post Didymi commentarium editum egerunt de quarta, quae vocatur, oratione Philippica A. Koerte, N. Rh. Mus. LX (1905) p. 388—410, Foucart, l. c. p. 54—78, Nitsche, Demosthenes u. Anaximenes p. 94—119, quorum hic ab Anaximene, illi a Demosthene eam compositam esse putant. Paragraphos 32 et 38 quidem ita scriptas esse existimo, ut nemini nisi Demostheni attribui possint.

libro 27 desumpti colorem videtur Theopompus mutuatus esse ex Demosthene. Simillima enim sunt haec verba, quae legimus in § 70 tertiae Philippicae quae vocatur orationis, quam, ut erat clarisssima, illi notam fuisse certum est, „*καὶ ἡμεῖς τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἕως ἐσμὲν σῷ, πόλιν μεγίστην ἔχοντες, ἀφορμὰς πλείστας, ἀξίωμα κάλλιστον*“, simillima sunt haec[1]) „*ὑμεῖς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, πλείστην δύναμιν ἔχοντες, τριήρεις, ὁπλίτας, ἱππέας, χρημάτων πρόσοδον*“ [2]). Facile eis nixus sua conscribere potuit Theopompus, si numerum talentorum et navium excerpsit ex [Dem.] X, 38 et ex Dem. XIV, 13, 20, 29, quod veri simile quidem esse me demonstravisse puto.

Tales orationes solebat[3]) Theopompus historiis suis inserere non solum ut secundum morem rerum scriptorum eos, qui legerent, certiores faceret de rei publicae statu, de consiliis imperatorum, de aliis rebus, sed etiam ut ornamentis dicendi sermonem magis varium redderet. Neque vero eum hic usum esse orationibus re vera habitis suo iure demonstravit Foucart[4]). Cuius argumentis addendum est utrumque fragmentum incipere a verbo „*ἐνθυμεῖσθε*“.

Redeo nunc eo, unde profectus sum, ad *Φιλιππικῶν* oeconomiam.

Ex fragmentorum, quae supra tractavi, ordine atque ex fragmento in Did. col. 14, 55 sqq. relato apparet libro 26 res usque ad annum 347 expositas esse. Primos igitur tredecim annos regis Philippi descripsit Theopompus XXVI libris, reli-

---

[1]) Dem. IV, 40.

[2]) Voce *ἀνανδρότατος* usus est Pseudodemosthenes or. LIX, 12. Cf. etiam Dem. XXIV, 52; 75.

[3]) Foucart, p. 122. Didymus quantopere varietate et colore dicendi caruerit intellegimus ex his verbis utrumque Theopompi fragmentum antecedentibus „*ἐπιμαρτυρεῖ (ἀπομαρτυρεῖ), ἐν οἷς (Ἀριστοφῶν, Φιλοκράτης) ὁ δημαγωγὸς αὐτῷ παράγεται λέγων ταῦτα*“. De extremis verbis cf. Croenert, N. Rh. Mus. LXII (1907) p. 385, cuius cura confirmatum est Wilamowitzii supplementum, cum ea, quae proposuerunt Deuerling, N. Philol. Rundsch. 1905 p. 434, et Wendland, Goett. Gel. Anz. 1906, p. 366, neque ad spatium neque ad vestigia apta sint.

quos XI annos libris XXXII. Nam eius Philippica duodesexaginta libros habuisse scimus. Videmus igitur etiam hunc constrictum fuisse ea consuetudine, qua rerum scriptores quo propius ad suae aetatis historiam accedebant, eo plenius res tractabant.

2. De Philippi vulneribus.

a) De vulnere, quo Philippus afflictus est in obsidione Methones.

Primum agit Didymus interpretaturus Dem. XI, 22, in col. 12, 40 sqq. de vulnere, quo Philippus in obsessione Methones affectus est. Ac Demosthenes ipse illius vulnera commemoravit in oratione de corona habita (§ 67) his verbis „αὐτὸν τὸν Φίλιππον ὑπὲρ ἀρχῆς καὶ δυναστείας τὸν ὀφθαλμὸν ἐκκεκομμένον, τὴν κλεῖν κατεαγότα, τὴν χεῖρα, τὸ σκέλος πεπηρωμένον“ et Harpocratio s. v. Μεθώνη protulit haec „Δημοσθένης Φιλιππικοῖς. λέγοι ἂν τὴν ἐν Θράκῃ, ἣν πολιορκῶν Φίλιππος ἐξεκόπη τόν δεξιὸν ὀφθαλμόν“. Apud Diodorum autem (XVI, 34) legimus „ἐν δὲ τῇ πολιορκίᾳ ταύτῃ συνέβη τὸν Φίλιππον εἰς τὸν ὀφθαλμὸν πληγέντα τοξεύματι διαφθαρῆναι τὴν ὅρασιν“ et apud Iustinum (VII, 6) „cum Methonem urbem expugnaret, in praetereuntem de muris sagitta iacta dextrum oculum regis effodit. Quo vulnere nec segnior in bellum, nec iracundior adversus hostes factus est, adeo ut interiectis diebus pacem deprecantibus dederit“. Quibus addendus est Strabo, qui scribit in l. VIII, VI 15 „Μεθώνη, ἐν ᾗ Φίλιππος ἐξεκόπη τὸν ὀφθαλμὸν πολιορκῶν... ὥς φησι Θεόπομπος“ et in lib. VII. fragm. 22 (C. 330) „ἐν δὲ τῷ πρὸ τῆς Μεθώνης πεδίῳ γενέσθαι συνέβη Φιλίππῳ τῷ Ἀμύντου τὴν ἐκκοπὴν τοῦ δεξιοῦ ὀφθαλμοῦ“.

Aliam autem atque fabulosam narrationem praebent Duris [1]), Callisthenes [2]), Lucianus [3]), Suidas [4]), alii [5])

[1]) Did. col. 12, 50.

[2]) Mueller, Script. rer. Alex. Magni fragm. p. 29. Callisth. fragm. p. 42. Foucart, l. l. p. 150.

[3]) Luc., Quom. hist. scr. 38.

[4]) Suid. s. v. Κάρανος.

[5]) Cf. adnot. ad Callisthen. fragm. Etiam in interpretationem ad Dem. III, 5 scriptam irrepsit haec narratiuncula (Dindorf VIII p. 119).

qui narrant Philippum a sagittario, cui esset nomen Aster, vulneratum esse. Cum iam prius sit dubitatum, sitne ea a Callisthene, qui Alexandri Magni res gestas descripsit, ficta [1]), ex Didymi verbis, qui de hac re omnino silet, concludere possumus eius auctorem fuisse Duridem Samium. Illam autem primus protulit Theopompus, cui etiam haec verba „*τῶν συνεστρατευκότων αὐτῷ σχεδὸν πάντων τοξεύματι λεγόντων αὐτὸν τετρῶσθαι*“ attribuenda videntur esse. Ex his enim verbis sequitur eum, qui hoc Philippi vulnus commemoravit, quaesivisse ex eis, qui illum comitati erant, quomodo vulneratus esset. Neque vero quisquam eorum auctorum, quos hic Didymus affert, erat Philippi aequalis nisi Theopompus, quem semper id studuisse scimus [2]), ut de rebus gestis locupletissimos fontes adiret. Marsyas autem, qui erat Alexandri Magni aequalis, videtur eum secutus esse [3]).

Quodsi Theopompi narrationem cum aliorum comparaveris, invenies ea complures auctores usos esse. Atque primum commemoro Didymum ipsum, qui col. 12, 40 scripsit se etiam alio loco egisse *περὶ ὧν ἔσχε τραυμάτων ὁ Φίλιππος*. Atque extant vestigia. Nam eundem in modum atque hic Philippi vulnera tractata sunt in scholio ad Dem. de cor. § 67 adscripto [4]). Deinde exhibet Harpocratio Theopompea eisdem verbis usus „*ἐξεκόπη τὸν δεξιὸν ὀφθαλμόν*“. Neque vero haec ex Theopompo ipso deprompsit, sed ex Didymo. Strabo autem dicit altero loco se illo usum esse, altero valde abhorret ab eo hunc in modum locutus „*ἐν δὲ τῷ πρὸ τῆς Μεθώνης πεδίῳ γενέσθαι συνέβη Φιλίππῳ τὴν*

---

[1]) O. Haupt, Dem. Stud. I. p. 8 not. Mueller, Callisthen. fragm. 29. Schaefer, l. c. II^2 p. 31, 3.

[2]) Dionys. Halic. ad Pomp. c. 6 (ed. U.-R. p. 245) „*πολλοῖς δ' εἰς ὁμιλίαν ἐλθὼν ἀνδράσι τοῖς τότε πρωτεύουσι καὶ στρατηγοῖς . . . διὰ τὴν συγγραφήν*“.

[3]) Ea, quae sequuntur in col. 12, 63—13, 7 non Marsyae soli tribuenda esse puto. Illud *φασίν* (col. 12, 63) dictum est de Theopompo et Marsya modo laudatis. cf. pag. 38, 4.

[4]) Dindorf, VIII p. 286.

ἐκκοπὴν τοῦ δεξιοῦ ὀφθαλμοῦ καταπελτικῷ βέλει κατὰ τὴν πολιορκίαν τῆς πόλεως", cum ille scripserit sagitta Philippi oculum perfossum esse. Vides igitur Strabonem haec ex alio auctore hausisse. Theopompum autem secutus est Iustinus[1]). Etiam Diodorus ex eo pendere videtur. Exhibet enim ut ille verba „τοξεύματι πληγείς".

Atque Theopompi fragmentum e quarto libro Φιλιππικῶν sumpsit Didymus, quocum bene congruit, quod de Amphipoli a Philippo capta in libro III verba fecit (fragm. 47, Mueller F. H. G. I p. LXX) et in libro IV egit de eius expeditione Thessalica eodem anno, quo Methone expugnata est, facta (cf. fragm. 50).

Sed redeo ad eam narrationem, cuius auctorem fuisse Duridem Samium vidimus. Ne hic quidem auctores, quos supra laudavi, consentiunt. Legimus apud Duridem ἀκόντιον, apud reliquos[1]) θανάσιμον βέλος in Philippum missum esse, cum nescio a quo inventus sit hic versus Ἀστὴρ Φιλίππῳ θανάσιμον πέμπει βέλος".

De Duridis autem ratione scribendi scripsit Didymus[2]) haec „ὁ δὲ Δοῦρις ἔδει γὰρ κἀνταῦθα τερατεύεσθαι". Quod fragmentum inserendum est in lib. II ἱστοριῶν post fragmentum 5, ubi Charetis victoria, quam de Adaeo Philippi duce paulo ante Methonem captam reportaverat, commemoratur.

Duridis historiae[3]) quousque ipsae sint lectae si quaesi-

---

[1]) Ea, quae apud Plutarchum et Stobaeum exstant, non sunt dissimilia, cum Suidas s. v. Κάρανος pleniora praebeat.

[2]) Quomodo Didymus aliique de Duride iudicaverint sagacissime expositum est in Schwartzii commentariolo de Duride scripto (Paulyi-Wiss. Real-Encykl. V p. 1855/56). Haec Didymi verba vertenda sunt „denn er muß auch hier wieder Phantastereien vorbringen". Cf. E. Schwartz, 5 Vortr. ü. d. griech. Rom. p. 10, cf. etiam Foucart p. 149, 3.

[3]) Duridis fragmenta inveniuntur apud Athen., Auct. anecd. Gr. Bekker., Clem. Alex., Diog. Laert., in Etym. Magn., apud Eustath., Harpocr., Hesych., Phot., Plin., Plut., Porphyr., Procl., in schol. Apoll. Rhod., Aristid., Aristoph., Eurip., Hom., Plat., apud Steph. Byz., Tzetz., Zenob., neque dubito, quin

verimus, notae fuisse videntur Ciceroni, Didymo, Diodoro Siculo, Dionysio Halicarnassensi. Neque vero satis constat, utrum ipsi eas inspexerint an ex aliis fontibus Duridea receperint. Ad posteriora tempora ille ut omnes fere exeuntis quarti et tertii saeculi rerum scriptores videtur non pervenisse. Ei enim, apud quos illius fragmenta servata sunt, non e fontibus primariis haurire solebant.

b) De Philippi bello Illyrico col. 12, 64—col. 13, 2 commemorato.

De vulnere, quo Philippus bello Illyrico afflictus est, scripsit Didymus haec „*τὸν μὲν οὖν ὀφθαλμὸν οὕτω φασὶν αὐτὸν ἐκκοπῆναι, τὴν δὲ κλῖν*[1]) *τὴν δεξιὰν ἐν Ἰλλυριοῖς λόγχῃ τὸν Ἰλλυριὸν Πλευρᾶτον διώκοντα ὀγδ' ἑκατὸν μὲν καὶ πεντήκοντα τῶν ἑταίρων τραυματίζονται, τελευτᾷ δὲ Ἱππόστρατος ὁ Ἀμύντου*". Primum igitur oritur quaestio quonam bello Illyrico ille vulneratus sit.

Atque Foucart putat hoc loco agi de bello Illyrico anno 345 gesto. Quam sententiam novis argumentis confirmaturi sumus.

Pleuratum illum, quod nomen scimus fuisse Illyricum, regem fuisse existimo vel unum[2]) ex regibus Illyriorum, quocum ipse manum conseruit Philippus. Complures enim nobis occurrunt reges Illyrici, quibus nomen est Pleuratus[3]). Adhuc autem ignoravimus etiam Philippum cum Pleurato Illyriorum

---

multa atque in primis ea, quae apud scholiastas, lexicographos, paroemiographos leguntur, per unum Didymum servata sint.

[1]) *Κλεῖν* coniectura est Foucartii (p. 142, 1), *κλῖν* pro *κνν*, quod legerunt editores Berolinenses, se in papyro vidisse affirmat Croenert (l. l. p. 387). Si vero in ea extaret *KNN*, quod legimus et in edit. Berol. et in edit. Teubneriana, secundum Demosthenem eiusque scholiastam (cf. ea, quae infra scripsi) scribendum est *KΛIN*, quia facile errore librarii ex *KΛIN* potuit oriri *KNN*.

[2]) Interdum apud Illyrios complures reges tenuisse regnum notum est. Cf. Prol. Hist. Phil. Pompei Trogi VIII, 6 (ed. Ruehl p. 253).

[3]) Niese, Gesch. d. makedon. Staaten II, p. 474; III, p. 159. Zippel, Die röm. Herrschaft in Illyrien p. 20; p. 40.

rege congressum esse. Praeter nomen illius regis, qui bello anni 345 Illyriorum regnum tenuit, omnia eorum, quibuscum Philippus ipse manus conseruit, nobis nota sunt. Itaque dubium non est, quin anno 345 Pleuratus Illyriorum rex fuerit.

Dixerit quispiam haec non satis constare, quia saepius complures reges apud illos regnaverint. Sed auctores, qui de reliquis Philippi bellis Illyricis verba faciunt, unum tantum fuisse regem, quantum video, commemorant, Pomp. Trogi autem Hist. Phil. Prol. haec verba „Ut Illyrici reges ab eo victi sunt" spectant ad bellum anni 345. Accedit, quod Didymus in Philippi vulneribus enumerandis rerum atque temporum ordinem optime servavit. Si enim totum locum Didymeum inspexeris, invenies primum illum loqui de vulnere ante Methonem accepto, quam expugnatam esse scimus anno 353, deinde de bello Illyrico, tum de pugna contra Triballos[1]) anno 339 commissa[2]). Unde sequitur bellum Illyricum post a. 353 et ante a. 339 susceptum esse, quo temporis spatio Philippus ipse non nisi anno 345 cum illis est congressus[3]). Atque Staehelinum, qui scripsit „In Pleuratus glaube ich denjenigen Illyrierfürsten erkennen zu dürfen . . . der bei Diodor 16, 93 Pleurias genannt wird, die hitzige Schlacht, von der Diodor an dieser späteren Stelle beiläufig erzählt, ist gewiß dieselbe, von der wir hier lesen, und nicht mit Schäfer III², 63f. einem dritten sonst nirgends erwähnten Illyrierkriege zuzuweisen" rectum vidisse neque tamen id satis demonstravisse puto[4]). Proficiscendum est ex loco Diodori, ubi narratur

[1]) De hac pugna cf. p. 38 sqq.

[2]) Eodem igitur ordine usus est Didymus quo Demosthenes (de cor. § 67) eiusque scholiasta.

[3]) Staehelin p. 150, Foucart p. 142. Hoc bello Illyrios fusos et fugatos, oppida expugnata, magnamque praedam captam esse Diodorus (XVI, 69, 7) narrat. Cf. Zippel, l. l. p. 26. Fortasse etiam Polyaeni verba, quae legimus in l. IV, 2, 5, ad hoc bellum referenda sunt.

[4]) Staehelin, l. l. p. 150/151. Foucart (p. 143), haec tantum scripsit „On admettra sans difficulté que le roi Illyrien Pleurias n'est autre que le Pleuratos de Didymos".

quomodo alter Pausanias ab altero iniuria affectus proelio Illyrico tutatus Philippum vulneratum interfectus sit, postquam adhortatus sit Attalum, ut se ulcisceretur, et alter ab altero summa contumelia affectus sit. Tota autem narratione, quae est de Philippi nece, Diodorum secutum esse videri auctorem, qui consulto fabulosa atque mirabilia composuit, demonstravit Schubert[1]). In primis vero ea, quae de utroque Pausania narrantur, sunt incredibilia. Itaque valde incertum est paulo ante necem Philippum denuo cum Illyriis esse congressum. Accedit, quod haud probabile est anno 345 Pleuratum, anno 336 Pleuriam, quorum nominum formae sunt simillimae, haec autem nullo alio loco, illa saepe invenitur, eorum regnum obtinuisse et Macedones, qui anno 337 et 335 contra eos bellaverint, etiam anno 336 eis bellum intulisse, cuius nusquam alibi mentio fit. Videmus igitur Diodori narrationem ad idem bellum spectare, quod commemoratur apud Didymum. Itaque Cobetus[2]) sequendus est, qui apud Diodorum pro *Πλευρίαν* scripsit leni mutatione *Πλευρᾶτον*.

Ex eo, quod Hippostrati[3]) filii Amyntae in pugna occisi nomen affertur, intellegimus illos nobiles fuisse Macedones. Itaque qui fuerint scire magni interest. Si ponimus Staehelinum et Foucartium secuti Hippostratum filium Amyntae fuisse fratrem Cleopatrae, quam Philippus anno 337 in matrimonium duxit, haec est filia Amyntae. Quis autem est hic Amyntas? Apud Arrianum, Curtium, Diodorum legimus[4]) Amyntam filium Antiochi post Philippi mortem ad Persas se contulisse et pugna apud Issum commissa contra Alexandrum pugnavisse. Quodsi inspexeris hunc Arriani locum „*Ἀμύντας*

---

[1]) R. Schubert, Unters. üb. d. Quell. z. Gesch. Phil. p. 17. Illum auctorem fuisse Duridem Samium veri non est dissimile. cf. p. 70 sq.

[2]) Cobet, Coll. crit. Lugd. Batav. 1878, p. 248.

[3]) Veri simile est Diodori auctorem, qui consulto vera cum falsis confudit, ea, quae de Hippostrati morte nota erant, rettulisse ad eum, cui ipse dedit nomen Pausaniam (cf. Foucart, p. 143; Schubert, l. l.).

[4]) Arr. I, 17, 9; 25, 3; II, 6, 3; 13, 3. Curt. III, 11. 18; IV, 1, 27. Diod. XVII, 48.

ὁ Ἀντιόχου, ὃς ἔφυγεν ἐκ Μακεδονίας Ἀλέξανδρον, παθὼν μὲν οὐδὲν πρὸς Ἀλεξάνδρου, δυσνοίᾳ δὲ πρὸς Ἀλέξανδρον“ existimabis haec non posse referri ad patrem Cleopatrae. Huc accedit, quod Dittenberger[1]) ex titulis quibusdam Oropiorum concludit Amyntam Antiochi filium cum Amynta filio Perdiccae artiore vinculo coniunctum fuisse ideoque post eius mortem sibi ipsi timuisse. Alius autem Amyntas apud Iustinum[2]) commemoratur, qui una cum Attalo et Parmenione in Asiam missus est, ut Persas aggrederetur. Attalum autem avunculum Cleopatrae et socerum Parmenionis fuisse scimus. Nonne est veri simile etiam Amyntae ut patri Cleopatrae una cum eis imperium belli in Asia gerendi delatum esse, quoniam cum eis cognatione coniunctus erat[3])? Quanquam certissima argumenta, quod pauca sunt testimonia atque exigua, proferre non possumus, tamen haud improbabile est illum Amyntam, qui in Asiam missus est, fuisse patrem Cleopatrae et Hippostrati.

At mihi oppones nomen Amyntae Philippi et Alexandri Magni temporibus saepe nobis occurrere[4]) ideoque minime certa esse, quae modo exposui. Sed nomen Hippostrati rarius invenitur. Praeter Amyntae filium et patrem Hegelochi nemo est notus, qui si Amyntae filius Hippostratus erat frater Cleopatrae non iidem esse possunt, quia post Philippi necem omnes Cleopatrae consanguinei ab Alexandro interfecti sunt[5]).

---

[1]) Dittenberger, S. I. G. I[2] p. 99. Nr. 123; 124.

[2]) Iust. IX, 5, 9.

[3]) Hunc Amyntam fuisse filium Antiochi primus Schaefer (l. c. III[2] p. 101) contendit. Cui adversatus est Judeich (Kleinas. St. p. 304, 2), qui Droysenum (Gesch. d. Hellenism. I[2] 102 A. 199 A 2) secutus mavult eum fuisse filium Arrhabaei. Schaeferi autem sententia reicienda est, quod legimus apud Arrianum Antiochi filium fugisse ex Macedonia.

[4]) O. Hoffmann, Die Makedonen, ihre Sprache u. ihr Volkstum, p. 156, 165, 176, 179, 192, 201.

[5]) Cf. Staehelin, l. c. p. 151.

c) De Philippi bello contra Triballos suscepto.

Bis Philippum adversus Triballos bellavisse scimus. Prius bellum videtur suspectum esse anno 345[1]), posterius gestum est anno 339[2]). Cum de illo nihil fere traditum sit, de hoc plenius actum est in Trogi Pompei[3]) epitoma a Iustino confecta, ubi in l. IX, 3, 2 legimus haec „Mox proelium, in quo ita in femore vulneratus est Philippus, ut per corpus eius equus interficeretur, cum omnes occisum putarent, praeda amissa est". Videmus igitur apud Didymum (col. 13, 3) de eodem proelio anno 339 commisso agi atque apud Iustinum. Utroque enim loco legimus Philippi femur transfossum esse[4]). Ut ex Iustini verbis „praeda amissa est" concludere possumus Macedones iam vicisse, ita ex his verbis, quae apud Didymum leguntur „τὴν σάρισάν τινος τῶν διωκόντων . . . . ὠσαμένου" intellegimus Philippum victoriam ab hostibus iam reportavisse. Nam eum a Macedone quodam, qui hostes persecutus est, vulneratum esse apparet ex verbo τὴν σάρισαν. Neque vero concedo Foucartio (p. 145) hunc militem fuisse unum ex phalangitis, ut hac Graecorum voce utar. Cum his hostes non potuit persequi Philippus, sed cum equitatu solebat insistere fugientibus[5]). Itaque illa Didymi verba supra laudata

---

[1]) Schaefer, l. c. II[2] p. 521; p. 346, 1.

[2]) Kromayer, Ant. Schlachtf. in Griechenl. I p. 181 (Beil. 1).

[3]) Cf. etiam Dem. de cor. 67 eiusque schol. (Dind. Dem. VIII, 286). Plut. Alex. Fort. I, 9.

[4]) Apud utrumque scriptorem cum nihil praebeatur nisi pauca verba ex auctore primario excerpta, nihil aliud comparari potest. Ne hoc quidem intellegere possumus hauseritne Didymus ex alio auctore atque Pompeius. Neque Foucart habet me assentientem, qui (pag. 142 et 143) putat hoc loco Didymum in primis hausisse ex Marsyae libris. Nam illud φασίν (col. 12, 63) dictum est et de Marsya et de Theopompo. Marsyas est aequalis Alexandri Magni, non Philippi et Theopompus. amplissimo opere res ab hoc gestas descripsit, ubi etiam vulnera eius commemorari oportuit et unde fortasse etiam Marsyas hausit (cf. Did col. 12, 49). Itaque nos diiudicare non posse censeo, utrum hoc loco Didymus secutus sit.

[5]) Cf. pag. 41.

ad equitem quendam referenda sunt atque testimonio nobis sunt Philippum usum esse genere σαρισσοφόρων[1]), qui in Alexandri Magni, qui multa instituta militaria Philippi secutus est[2]), exercitu inveniuntur[3]).

Iam supra commemoravi Didymum eodem ordine Philippi vulnera tractavisse quo Demosthenem eiusque scholiastam[4]). Si comparaveris hoc scholion Demosthenis „Φίλιππος τὸν ὀφθαλμὸν ἐπλήγη ἐν τῇ Φεθώνῃ, τὴν δὲ κλεῖν ἐν Ἰλλυριοῖς, τὸ δὲ σκέλος καὶ τὴν χεῖρα ἐν Σκύθαις“ cum loco Didymeo, cognosces scholiastae verba „τὸ δὲ σκέλος καὶ τὴν χεῖρα ἐν Σκύθαις“ non esse integra. Cum vero hoc scholion ex ipsa Didymi interpretatione fluxisse probabile sit, hic post „τὸ σκέλος“ inserenda esse puto verba „ἐν Τριβαλλοῖς“. Atque ex eodem scholio apparet Didymum in commentario ad Dem. orat. de cor. hab. scripto plenius de Philippi vulneribus egisse. Nam hic commemoratur eius vulnus bello Scythico acceptum, quod in papyro Berolinensi omissum est[5]).

Fortuna Alexandri Magni comparatur in col. 13, 7 cum Philippi, quorum ille quanquam decies fere sauciatus sit, nullo membro mutilus fuerit (ἄπηρος διέμεινε), cum huius totum corpus sit mutilatum. Si vero computaverimus quotiens vulneratus sit Alexander, apud eos auctores, qui eius res

---

[1]) Debeo haec Wilckenio.

[2]) Iam Droysen (Kriegsaltert., Hermann, Handb. d. Gr. A. II, 2 p. 111, 2) putavit ex eo, quod σαρισσοφόροι in Alexandri exercitu inveniuntur, colligi posse hoc equitatus genus a Philippo institutum esse.

[3]) Bauer (Kriegsaltert., Müller, Handb. d. kl. Altert. IV, 2 p. 434, 436).

[4]) Libanium, qui (I p. 107 D) similem in modum Philippi vulnera commemoravit, mutuatum esse colorem ex Dem. de cor. 67 et ex orat. XXV, 80 recte adnotavit Wesseling ad Diod. XVI, 34. Themistius (orat. XI, 153 a, b) ex Demosthene deprompsit haec „ὁ πατὴρ (Ἀλεξάνδρου) . . . τὴν κλεῖν κατεαγυῖαν καὶ πεπηρωμένον τὸ σκέλος“. Unde excerpta sint Plutarchi verba dici nequit.

[5]) Ex eo, quod in Dem. or. IX, 22 nihil aliud legimus nisi „κατατετρῶσθαι πᾶν τὸ σῶμα“, cum in or. de cor. habita omnia Philippi vulnera enumerentur, non recte mihi videtur Foucart (p. 90) conclusisse orationem undecimam habitam esse anno 340/339 ante eius bella cum Triballis et Scythis gesta.

gestas descripserunt, praeter illud bello Illyrico ei illatum, quod re vera Philippo inflictum ad Alexandrum errore relatum esse veri simile est[1]), invenimus decem vulnera commemorata esse. Consentit igitur Didymus, qui scripsit „δέκα γάρ που λαβὼν καιρίους πληγάς“, cum illis. Neque vero cogitaverim eum ipsum computavisse quotiens Alexander laesus esset. Hoc apud alios auctores invenit. Quod mihi concedes, si legeris ea, quae de illius vulneribus scripsit Plutarchus in declamationibus suis de Alexandri Fortuna inscriptis[2]). Cum vero apud Ciceronem[3]) legamus fuisse, qui laudationes Philippi et Alexandri Magni composuissent, colligere possumus eius modi enumerationes non solum Didymo et Plutarcho, sed etiam aliis grammaticis atque rhetoribus notas fuisse. Atque ab eodem Cicerone[4]) discimus Philippum cum Alexandro comparatum esse. Neque quisquam est, quin putet tales comparationes iam ante Ciceronis aetatem in rhetorum scholis viguisse. Quando ortae sint dici non potest. Sed veri est simile eas redire ad illam aetatem, qua infesta quaedam in Alexandrum Macedonum factio orta erat. Atque prima vestigia extant apud Polybium[5]). Cum e Plutarchi declamationibus conici potuerit fuisse ante eum auctores, qui multas res ab Alexandro gestas non ei ipsi, sed fortunae adiudicandas esse putarent, Didymi verbis demonstratur primo iam a. Chr. n. saeculo Alexandri fortunam cum Philippi comparatam esse[6]).

Haec verba, quae pertinent ad bella cum Illyriis et Triballis gesta, magni momenti sunt ad eas rationes intelle-

[1]) Nachstaedt, De Plut. declam., quae sunt de Alex. Fortuna. Diss. Berol. 1895, p. 45.

[2]) Plut. De Alex. Fort. I, 2, p. 326 F.; II, 9, p. 341; cf. Nachstaedt p. 37 sqq.

[3]) Cic. de fin. II, 116; de orat. II, 396.

[4]) Cic. de off. I, 90, ubi inspicienda est Beieri adnotatio.

[5]) Polyb. XXII, 18, 10; III, 6, 5. Cf. etiam W. Hoffmann, Das litt. Portr. Alexanders, diss. Lips. 1907 p. 88, 3.

[6]) De illa συγκρίσει, quam legimus apud Iust. IX, 8, accuratius egi in pag. 72 sqq.

gendas, quibus Philippus pugnis decertabat atque hostes profligabat.

Proelio cum Illyriis commisso vulnerati sunt (Did. col. 12, 66) centum quinquaginta eorum, qui *ἑταῖροι* vocabantur, qui numerus quantus sit cognosces, si cum omnium *ἑταίρων* numero, qui vix plus octingenti fuisse videntur, comparaveris[1]). Quo ex numero videtur apparere, praesertim cum sciamus eorum, qui hostes aggrediuntur, maiorem numerum solere vulnerari quam eorum, qui fugientes persequuntur, Philippum cum equitibus, quorum fortissimi atque excellentissimi erant *ἑταῖροι*, Illyrios aggressum esse et hoc impetu eos fugasse. Ipse hostes persecutus eorum regem petit. Etiam *κατὰ τὴν εἰς Τριβαλλοὺς ἐμβολὴν* ut Didymi verbis utar Philippum ipsum manus conseruisse cum hostibus patet ex Did. col. 13, 3—7. Eodemque in proelio ipse medios inter equites[2]) hostibus insistit, unde duco sumere licere eum etiam hic illum impetum, quo hostes fusi sunt, fecisse cum equitatu. Utroque in proelio maxime dat operam, ut hostes persequatur, atque utroque in proelio vulneratur.

Quibus rebus usis ea confirmare licet atque supplere, quae Delbrueck[3]), Droysen[4]), Kromayer[5]), alii de Philippi arte bellandi exposuerunt. Impetu equitatus, cui rex ipse praeest, plerisque pugnis hostes pelluntur[6]). Atque primum

---

[1]) Cf. Theop. fragm. 249. Conferas autem ea quae scripsit U. Koehler (Sitzungsber. Berl. Acad. 1891, p. 473). Pugna ad Granicum commissa viginti quinque fere tantum *ἑταῖροι* necati sunt (Ar. An. I, 16, 4). Pugna illa Illyrica sintne praeter Hippostratum alii *ἑταῖροι* necati ex Did. col. 12, 66/67 intellegi nequit.

[2]) Cf. pag. 38 sqq.

[3]) Delbrueck, Gesch. d. Kriegskunst I p. 139 sqq.

[4]) Droysen l. c.

[5]) Kromayer, l. c. I p. 165 sqq.

[6]) Notum est equites Thessalorum, quos exercitui suo inseruit Philippus, ante omnes floruisse, quorum de modo impetus faciendi Polybius habet haec (IV, 8, 10) „*Θετταλῶν γοῦν ἱππεῖς κατ᾽ ἴλην μὲν καὶ φαλαγγηδὸν ἀνυπόστατοι, χωρὶς δὲ παρατάξεως πρὸς καιρὸν καὶ τόπον κατ᾽ ἄνδρα κινδυνεῦσαι δύσχρηστοι καὶ βραδεῖς*“, cf. Kromayer, Ant. Schlachtfeld. in Gr. I, 73, 3.

altero[1]) in cornu eos devinci consuevisse optime demonstravit Kromayer (l. c. I, p. 165). Philippus ipse ut est fortissimus et pugnandi cupidissimus (cf. Theop. fragm. 28) solet comminus pugnare atque hostium ducem petere eo consilio, ut hoc interfecto illi facilius fugentur. Non sibi ipsi timet. Prima in acie cum fortissimis medios in hostes se immittit. Qui fit, ut saepe vulneretur. Victoria reportata fugientibus rex eiusque equites insistunt eosque impediunt, ne colligantur. Quibus rationibus usus est Philippus iam in primo proelio cum Illyriis commisso et in ea pugna, qua Onomarchum devicit[2]). Cum Kromayer (l. c. I, p. 165) diligentissime exposuerit quo modo Philippus Epaminondae et Pelopidae artem hostes profligandi secutus sit, liceat mihi proferre simillimam Philippicis esse eam pugnam, qua Pelopidas cum Alexandro Pheraeo congressus est[3]). Ut Philippus prima in acie dimicat Pelopidas (Plut. Pel. 32, 7 *αὐτὸς δὲ συνέμιξε . . . τοῖς . . . μαχομένοις*) eiusque equites fundunt atque persequuntur[4]) Alexandri exercitum. Philippus ut est in re militari Boeotorum discipulus, ita praeceptor est Alexandri, quem solitum esse constat altero in cornu cum equitatu hostes aggredi, ipsum summa audacia petere eorum regem, fusos omni vi persequi.

3. De Atheniensium navibus a Philippo ad Hieron captis.

In col. 10, 35—11, 5 narrat Didymus, qui interpretatur Dem. XI, 1 „*ὅτι μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, Φίλιππος οὐκ ἐποιήσατο τὴν εἰρήνην πρὸς ὑμᾶς, ἀλλ' ἀνεβάλετο τὸν πόλεμον πᾶσιν ἡμῖν φανερὸν γέγονεν*“, Philippum, cum Byzantios obsideret, Atheniensium classem mercatoriam ad Hieron praedatum esse. Qua in re usus est Theopompi et Philochori testimoniis[5]).

---

[1]) Plerisque in pugnis dextro cornu immisso, in pugna apud Chaeroneam commissa sinistro hostes reiciuntur.

[2]) Diod. XVI, 4, XVI, 35; Delbrueck, Gesch. d. Kriegsk. I p. 140 sqq., Beloch, Gr. Gesch. II, 487.

[3]) Hac de pugna optime egit Kromayer (II, p. 119).

[4]) Reliquae Boeotorum pugnae non equitatu decertantur.

[5]) Did. col. 10, 47—50; col. 10, 54—11, 5.

Haec fragmenta maximi sunt momenti, quoniam eis non solum declaratur, quae rationes ante bellum inter Athenienses, Byzantios, Macedones intercesserint, sed etiam definitur quo tempore bellum inter Athenienses et Philippum ortum sit. Toto autem Didymi loco confirmantur ea, quae legimus in orat. de cor. hab. § 73 „*καὶ τὴν εἰρήνην γ' ἐκεῖνος ἔλυσε τὰ πλοῖα λαβών, οὐχ ἡ πόλις*“ et § 139, ubi de initio belli proferuntur haec „*ἀλλ' ἐπειδὴ φανερῶς ἤδη τὰ πλοῖα ἐσεσύλητο, Χερρόνησος ἐπορθεῖτο, ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν ἐπορεύεθ' ἅνθρωπος . . . . ἐνειστήκει πόλεμος*“ [1]). Demosthenes igitur, quem secutus esse videtur [2]) Didymus in eis verbis, quae antecedunt, existimat classis mercatoriae raptu in primis bellum ortum esse.

Res quomodo tum factae sint, videamus nixi in testimoniis a Didymo allatis, quae nondum satis sunt explicata.

Theophrasto archonte posteriore parte anni Iuliani 340 Philippus aggressus est Perinthios [3]), qui a Byzantiis et Persis adiuti fortissime restiterunt, quanquam terra marique obsidebantur. Ille cum Perinthum proficisceretur, itinere per regiones, quae sub Atheniensium potestate erant, facto pacem violaverat [4]). Neque tamen statim ei bellum indictum est. Charetem autem, qui anno 341/340 [5]) cum classe Atheniensium litora Thraciae pervagatus erat, proximo anno in Bosporum missum esse hoc Philochori fragmento accepimus. Quocum optime congruit, quod scimus eum cum quadraginta navibus paulo post Byzantiis auxilio venisse [6]). Secundum Philochorum autem

---

[1]) Cf. Staehelin, l. c. p. 68. Foucart, p. 198.

[2]) Did. col. 10, 34 sqq.

[3]) F. H. G. I p. 406. Philoch. fragm. 135 „*Θεόφραστος Ἀλλαιευς, ἐπὶ τούτου Φίλιππος τὸ μὲν πρῶτον ἀναπλεύσας Περίνθῳ προςέβαλεν*“.

[4]) Cf. Schaefer, l. c. II² p. 445—503. Kromayer, Ant. Schlachtfeld. in Griech. I p. 180.

[5]) I. G. II, I, 116; II, II, 808 c, 82; 809 d, 220. Schaefer, l. c. II², 450, 4 451, 2. Kirchner, Paulyi-Wiss. Real-Enc. III p. 2127.

[6]) Hesych. Miles Orig. Const. 28—30 (Mueller, F. H. G. IV, 151). Plut. Phoc. 14. Diod. XVI, 77 „*Ἀθηναῖοι μὲν ἔκριναν τὸν Φίλιππον λελυκέναι τὴν πρὸς αὐτοὺς συντεθεῖσαν εἰρήνην. εὐθὺς δὲ καὶ δύναμιν ναυτι-*

se contulit tum ad Hieron, quod vocatur, promonturium Bithyniae, ubi Pontus Euxinus et Bosporus Thracius coniunguntur [1]). Huc enim colligebantur naves mercatoriae Atheniensium eorumque sociorum e Ponto revertentes. Reliquit autem secundum Philochorum Chares hic nonnullas trieres, quibus illae reciperentur. Ex eo vero, quod nobis traditum non est Athenienses semper classem mercatoriam navibus longis missis reducendam curavisse, apparere nemo negat ei non nisi tum, cum bellum imminebat, praetorem cum trieribus praesidio missum esse [2]). Verisimile igitur est, cum Perinthii et Byzantii a Philippo obsiderentur, Athenienses timuisse, ne ille naves suas e Ponto reduces aggrederetur, ideoque Charetem misisse, qui illas tueretur. Itaque apertum est bellum inter Philippum et Athenienses nondum ortum esse, sed imminuisse.

Neque quicquam adhuc traditum erat de Charetis et satraparum conventu [3]). Quem factum esse propter Perinthios

---

κὴν ἀξιόλογον ἐξέπεμψαν βοηθήσουσαν τοῖς Βυζαντίοις". cf. Schaefer, l. l. II², 508, 1, 4; 509, 2; 514. Kromayer, l. l. I, p. 178.

[1]) De nomine et situ huius promonturii conferendus est Egli, Nomina geogr. p. 409, ubi legimus „*Ἱερὸν στόμα* = Heilige Mündung, die Enge des Bosporus zwischen Rumili und Anatoli Kawak, weil die letztere Anlage vor alters Fanum (= *Ἱερόν*) hieß von dem Tempel der zwölf Götter"; cf. etiam Baedeker, Konstantinopel u. d. westl. Kleinasien p. 136.

[2]) Testimonio est oratio quae fertur Demosthenis *πρὸς Πολυκλέα περὶ τοῦ ἐπιτριηραρχήματος* habita, ubi legimus classi mercatoriae revertenti naves longas ad Hieron praesidio missas esse, quod Byzantii imminebant et Chalcedonii. Cf. [Dem.] L 6; 17. Verbo „*τὸ πλοῖον*" significatur apud Demosthenem (de cor. 73 et 139) et apud Philochorum navis oneraria. Cf. etiam Did. col. 10, 47, ubi legimus „*τὰ πλοῖα τῶν ἐμπόρων*". Vox „*ναῦς*" habet significationem navis longae. Qua de re videas quaeso ea, quae scripsit Schaefer (II², 503, 5). De verbis „*τὰ πλοῖα κατάγειν*". Harpocratio Demosth. or. VIII, 9 et 28 interpretatus profert haec „*κατάγειν τὰ πλοῖα λέγεται ἀντὶ τοῦ βιάζεσθαι κακοῦν καὶ μὴ ἐᾶν τοὺς πλέοντας ὅποι βούλονται πλεῖν ἀλλ' εἰς τὰ οἰκεῖα χωρία τοῖς λῃστεύουσι κατάγειν*". Significatur igitur voce „*κατάγειν*" „naves captas in portum deducere", „naves intercipere", quod nostro sermone vocamus „aufbringen, kapern", cf. Xen. Hell. V, 1, 28; Dem. V, 25; VIII, 9; Lyc. 18.

[3]) Eodem modo apud Arrianum (An. I, 12, 10) verbo „*σύλλογος*"

et Byzantios a Philippo obsessos facile est coniectu. Atque notum est Perinthios obsessos, cum eis Athenienses auxilio non venissent, adiutos esse a satrapis auctore rege Ocho[1]). Tunc autem, cum illi omni vi oppugnarentur, et Atheniensibus et Persis timendum erat, ne illis oppressis ipsis bellum inferretur. Nonne eorum intererat se contra Macedones coniungere? Atque Athenienses, cum diu inter eos et Philippum discordiae ortae essent, iam deliberaverunt de foedere cum rege faciendo[2]). Itaque mirum non est Charetem se ad satrapas contulisse[3]). Utrum autem Atheniensibus iubentibus eos convenerit necne ignoramus. Neque vero invitis Atheniensibus eum egisse ex eo apparet, quod eum non solum non in ius vocaverunt, sed non multo post Byzantiis auxilio miserunt et proximo quoque anno ei imperium detulerunt. Atque Philochori verba ad Charetem et satrapas pertinentia tam sunt brevia, ut liceat suspicari eum, ut erat auctor Atheniensis, consulto omisisse eas rationes, quae inter eos interciderunt.

Vix autem Chares ad satrapas profectus erat, cum Philippus constituit Atheniensium classem revertentem opprimere. Quod vix fecisset, nisi ei de illorum conventu certiori facto persuasum fuisset brevi sibi etiam cum Atheniensibus bellandum fore. Huc accedebat, quod summa inopia premebatur[4]). Si navibus et frumento et aliis rebus illis transportatis potitus esset, speravit se facilius Perinthum et Byzantium capturum esse. Quanam alia causa putares

---

significatum esse satraparum conventum ad Zeliam urbem ante pugnam ad Granicum commissam habitum docuit me Wilcken.

[1]) Dem. XI, 5; Arr. An. II, 14, 5. Paus. I, 29, 10. Veri est simile inter satrapas, quos Chares convenit, fuisse Arsitem, quem vocat Pausanias satrapem *τῆς ἐφ' Ἑλλησπόντου Φρυγίας*, qui Philippi et Alexandri inimicissimus erat.

[2]) Dem. X, 32, 33.

[3]) Athenienses, cum paulo post Artaxerxi Ocho foedus obtulissent, repulsam tulerunt. Suscensuit enim ille, quod Lycisco archonte societatem sibi oblatam repudiaverant. (Aesch. III, 238; Dem. XVIII, 137; Did. col. 8, 10 sqq. Staehelin, l. c. p. 67.)

[4]) Hac de re cf. pag. 66 sqq.

eum, qui omnibus fere subsidiis nudatus vix sperare potuit se oppressurum esse Perinthios et Byzantios, esse commotum, ut etiam Athenienses provocaret?

Atque primum conatus est navibus suis longis immissis illorum classem intercipere. Sed hac de re frustratus est. Trierarchos a Charete relictos licet existimare reppulisse Macedones. Quod non miramur, quoniam scimus tum classem Macedonicam nondum multum valuisse. Neque vero ille de conatu destitit, sed in alterum litus transportavit copias pedestres. Quod facile ei contigit, quod apud Hieron latitudo Bospori est septem stadiorum (Scyl. 67 „ἀφ᾽ Ἱεροῦ δὲ τοῦ στόματός ἐστι τοῦ Πόντου εὖρος στάδια ζ´) et apud Rumili Hissar, quod his temporibus vocatur, ubi est artissimus, vix quattuor stadiorum[1]). Ita cepit Atheniensium naves Philippus. Tum demum Athenienses commoti sunt, ut Philippo bellum indicerent atque Byzantiis auxilio venirent.

At repugnat Nitsche[2]), qui usus est rhetore Menandro, qui Demosthenis orationem contra Philippi epistulam compositam interpretatus[3]) scripsit, cum Selymbriani obsiderentur, naves ab Atheniensibus missas, quae frumentum afferrent, captas esse a Philippo arbitrato eas illis auxilio missas esse. Tum eum Atheniensibus minatum esse se eis bellum illaturum esse, nisi omnia, quae postulavisset, sibi concederent. Atque eadem tradidit scholiasta ad Dem. orat. de cor. hab. § 77. Hic quidem interpretatus est Philippi epistulam orationi insertam, quam a falsario quodam fictam esse scimus[4]), qui Philippum induxit verba facientem de Atheniensium navibus Selymbrianis auxilio missis.

Quaerendum igitur nobis est hauseritne Menander sua

---

1) Oberhummer, Paulyi-Wiss. Real-Encykl. III, col. 741.

2) W. Nitsche, Demosthenes und Anaximenes, eine Untersuch. (Ber. d. Philol. Ver. zu Berl.) 1906, p. 81 sqq.

3) Dindorf, Dem. VIII, p. 209.

4) J. G. Droysen, Kl. Schr. z. alt. Gesch. I, p. 182 sqq. Drerup, Über die bei den att. Redn. eingel. Urkund. Fleckeis. Jahrb. f. kl. Philol. 1898, Suppl. XXIV, p. 237, 238.

ex epistula an falsarius ille ex scholiis. Hoc Christ[1]) contendit, Schaefer illud[2]).

Atque proficiscendum est e scholio Dem. orat. XVIII, 77 adscripto[3]). Quod si cum decretis Atheniensium et epistula Philippi orat. §§ 73—78 insertis comparaveris, intelleges omnia, quae extant in scholio, reperiri in illis. Haec autem ampliora sunt. Atque facile cognosces accuratius in §§ 73, 74, 75, 77, 78 eas res, quae in uno scholio commemorantur, describi atque ita, ut multo veri sit similius a scholiasta ea, quae in illis paragraphis invenit, in unum scholion contracta esse quam illum falsarium tam artificiose usum esse hoc scholio, ut modo hic, modo illic eas res commemoraret, quas apud scholiastam legerat. Quod probabis, si inspexeris haec scholiastae verba „*Σηλυμβρίαν ἐπολιόρκει Φίλιππος... Ἀθηναῖοι μὲν ἀπέστειλαν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ σιτηγήσοντα αὐτοῖς πλοῖα ἐξ Ἑλλησπόντου*“, ubi illud verbum „*αὐτοῖς*“ ad „*Ἀθηναῖοι*“ referendum[4]) est propter ea, quae sequuntur. Primum autem quaeres quomodo illae naves in Hellespontum missae Selymbriam appelli potuerint. Deinde est mirum quam ob rem Philippus putaverit naves onerarias (*τὰ πλοῖα*) Selymbrianis auxilio missas esse. Quae offensiones desunt in falsarii epistula Philippi,

---

[1]) W. Christ, Die Atticusausgabe des Demosth., Abhdlg. d. Kgl. Bayer. Akad. d. Wissensch. XVI, 1882, p. 199 „Prüft man aber die Urkunden der übrigen Reden mit Rücksicht auf die Scholien, so wird man zunächst bei dem Briefe des Philipp in der Kranzrede sich leicht überzeugen, daß er ähnlich wie die Urkunden der Midiana nach der Vorlage des Scholions entworfen wurde.“

[2]) Schaefer, l. c. II² 503, 5 „Der Verfasser der falschen Aktenstücke hat daraus (*τὰ πλοῖα*) Kriegsschiffe gemacht, welche unter dem Vorwande, einem Getreidetransport vom Hellespont nach Lemnos bewaffnetes Geleit zu geben, der belagerten Stadt Selymbria hätten Hilfe leisten wollen, und der Scholiast (p. 209 Df.) hat dies ausgeschrieben“.

[3]) Dindorf, Dem. VIII p. 290. Huius scholii nusquam, quantum video, mentionem fecit Nitsche.

[4]) Utroque loco praebent libri *αὑτοῖς* non *αὐτοῖς*. Si putares illud „*αὐτοῖς*“ pertinere ad Selymbrianos, Athenienses ipsi contra pacem egissent atque illa verba „*ὑπονοήσας Φίλιππος μὴ ἐπὶ σιτηγίαν ἀφῖχθαι τὰ πλοῖα, ἀλλὰ βοηθήσοντα Σηλυμβριανοῖς κτε*“ carerent omni sensu.

ubi legimus „ἐξαπεστάλη ταῦτα τὰ πλοῖα πρόφασιν μὲν ὡς τὸν σῖτον παραπέμψοντα ἐκ τοῦ Ἑλλησπόντου εἰς Λῆμνον, βοηθήσοντα δὲ Σηλυμβριανοῖς“. Falsarius [1]) igitur, quanquam ei non satis notum erat, ubi Selymbria esset sita, finxit Laodamantem Atheniensium praetorem, qui Lemniis frumentum afferret, re vera auxilio venisse Selymbrianis.

Huc accedit, quod facile intelleges haec verba „Λαομέδοντος ναυαρχοῦντος“ et „εἰ μὴ τῶν κατ' αὐτοῦ πραγμάτων πεπαύσονται — ἀφῆκε τὸν ναύαρχον“, quae extant in pleniore scholio, ex epistula Philippi et ex decreto paragr. 73—74 tradito sumpta esse. Quae si tibi persuaseris, concedendum erit aut e decretis et ex epistula esse sumptum plenius scholion, quo usus is, qui Demosthenis quae fertur orationem πρὸς τὴν ἐπιστολὴν τὴν Φιλίππου habitam interpretatus est, suum scholion composuit, aut hoc scholion fuisse fontem decretorum et ab eo, qui plenius scholion conscripsit, verbotenus fere descriptum et cum eis, quae ille ex decretis falsarii sumpsit, callide compositum esse. Hoc vero si existimares, adderes scholiastae et decretorum falsario illum tertium auctorem, qui scholion et decreta coniunxisset. Quibus causis commotus certum esse duco scholiastam hausisse ex decretis. Itaque omittamus hoc scholion et reiciamus illum rerum ordinem, quem proposuit Nitsche.

Redeo autem eo, unde aberravi. Ut Philochorus et Theopompus de navibus ad Hieron captis verba fecerunt, ita Pompeius Trogus quoque eas commemoravit. Quanquam autem eum plenius de illis rebus egisse certum est, in epitoma a Iustino conscripta nihil legimus nisi haec [2]) „Igitur Philippus longa obsidionis (i. e. Byzantii) mora exhaustus pecunia commercium de piratica mutuatur. Captis itaque CLXX navibus mercibusque distractis anhelantem inopiam paululum recreavit.“ Quae verba e Theopompo hausta esse infra sum demonstraturus. Ex eis autem apparet iam diu

---

[1]) Droysen, Kl. Schr. I, p. 183.

[2]) Iust. IX, 1, 5; 6.

non solum Perinthios, sed etiam Byzantios a Philippo obsessos esse, cum naves caperentur. Idemque patet ex Didymi verbis (col. 10, 35—47), quem mihi persuasum est hoc loco non suum ipsius iudicium proferre, sed sequi Demosthenem[1]. Atque optime congruit, quod Hieron promonturium non longe distat a Byzantio, ut illius milites facile et celeriter eo pervenire possent. Quod naves frumentariae mense Octobri vel Novembri reduci solebant[2], apertum est bellum inter Athenienses et Philippum ortum esse sub initium hiemis anni 340/339.

Quae cum ita sint, apparet non recte iudicavisse Nitschium, qui putat, dum a Philippo Selymbria obsideretur, belli initium factum esse, sed confirmatam esse sententiam Schaeferi et Kromayeri[3], qui demonstraverunt tum demum, cum finibus violatis navibusque ad Hieron captis Athenienses affecti essent summo detrimento, bellum esse ortum.

Atque e Philochori verbis concludendum es Philippum perrexisse Byzantios obsidere. Legimus enim in col. 11, 3 „*τοῖς ξύλοις ἐχρῆτο πρὸς τὰ μηχανώματα καὶ σίτου καὶ βυρσῶν καὶ χρημάτων πολλῶν ἐγκρατὴς ἐγένετο*". Notissima est illa Byzantii obsessio multisque locis eius mentio fit[4]. Et illa *μηχανώματα* commemorata sunt etiam in Philochori fragmento 135 e sexto libro sumpto, ubi tradita extant haec „*Θεόφραστος Ἀλλαιεύς, ἐπὶ τούτου Φίλιππος τὶ μὲν πρῶτον ἀναπλεύσας Περίνθῳ προςέβαλεν, ἀποτυχὼν δ᾽ ἐντεῦ-*

---

[1]) Praeter Demosthenis orat. de cor. hab. § 73 et § 139 inspicias quaeso § 87 eiusdem orat. „*ἕτερον κατὰ τῆς πόλεως ἐπιτειχισμὸν ἐζήτει ὁρῶν δ᾽ ὅτι σίτῳ πάντων ἀνθρώπων πλείστῳ χρώμεθ᾽ ἐπεισάκτῳ, βουλόμενος τῆς σιτοπομπίας κύριος γενέσθαι.*"

[2]) Schaefer, l. c. II^2 p. 501, 2. Idem fere iudicat Foucart, l. c. p. 176.

[3]) Schaefer, l. c. II^2 p. 501, p. 510. Kromayer, Antike Schlachtfelder, p. 180.

[4]) Schaefer l. c. II^2 p. 503 sqq.

θεν Βυζάντιον ἐπολιόρκει καὶ μηχανώματα προςῆγεν" [1]). Quibus verbis hoc fragmentum apud Didymum servatum adiungendum est. Quod Dionysius Halicarnassensis, quanquam loquitur de bello inter Athenienses et Philippum orto, nihil protulit de navibus ad Hieron captis, non miraberis, cum scias illum nihil commemoravisse nisi *„τὰ ἀναγκαιότατα"* [2]).

4. De Theopompi Philippicon librorum XLVI—LIII fragmentis.

Quonam ex libro *Φιλιππικῶν* sumpta sint ea Theopompi verba, quae legimus in Did. col. 10, 49, licet quaerere. Atque ex libro XLV extat fragmentum 238 [3]), ubi vituperatur Chares. Quod non ad annum 338 referendum esse, ut voluit Wichersius [3]), iam vidit Carolus Mueller [3]). Si vero quaerimus quam ob rem Theopompo ille fuerit obiurgandus, meminerimus eum anno 343/342 praetorem in mari Thracio versatum a Philippo commotum esse, ut Thasiorum exulibus, qui cum illo fecerant, permitteret domum redire [4]). Atque optime congruit cum ordine temporum librorum ordo. Nam bellum Thracium, quod ortum est ol. 109, 2 (a. 342), Theopompus libris XLVI—L descripsit [5]). De Hermia autem, Philippi socio, qui captus est a Mentore anno 341/340 [6]), egit in libro XLVI. Libri XLVII restat fragmentum 247 a. Steph. Byz. (ed. Mein. I, p. 137) traditum *„Ἀσταί, ἔθνος . . . ἔστι καὶ χώρα Βυζαντίων ὡς Θεόπομπος ἐν τεσσαρακοστῇ ἑβδόμῃ"*. Spectat

---

[1]) Philoch. fragm. 135 (F. H. G. I p. 406, Dion. Halic. ed. U.-R. I p. 272, 17). Machinas illas construxerunt Polyidus Thessalus eiusque discipuli Diades et Charias. Wescher, Poliorc. p. 10, Diels, Laterculi Alexandrini a. e. Papyrus ptolem. Zeit. Abhdlg. d. Berl. Acad. 1904, col. 8, 5; 8, 12.

[2]) Dion. Halic. ed. U.-R. I p. 272, 17 *„θήσω ἐξ αὐτῆς τὰ ἀναγκαιότατα"*.

[3]) F. H. G. I p. 318.

[4]) Schaefer, l. c. I² p. 318; schol. Dem. VII, 15.

[5]) Mueller, F. H. G. I p. 319—321; IV p. 645.

[6]) Did. col. 4,66—5,21; Koerte, N. Rh. Mus. LX, 1905, p. 390, 391. Staehelin p. 141—145.

igitur illud fragmentum ad res Thracias. Ex fragmento vero 248 a. Steph. Byz. s. v. *Δανθαλῆται*[1]) *ἔθνος Θρᾳκικόν* servatum veri est simile in libro XLVIII narratam fuisse seditionem Maedorum, Danthaletarum, aliarum Thracum gentium, quam ante Perinthi et Byzantii obsidionem ortam esse ex eo concludam, quod fieri vix potuit, ut Philippus has urbes, ut erant sitae ad mare, aggrederetur, priusquam Thraces essent domiti. Nunc alterum eiusdem libri fragmentum habemus in Did. col. 9, 48, ubi legimus „(*Ἀριστομήδης*) *ὁ Φεραῖος ὁ συμπολεμῶν τοῖς βασιλέως στρατηγοῖς Φιλίππῳ, περὶ οὗ . . . διείλεκται καὶ Θεόπομπος ἐν τῇ η΄ καὶ μ΄ τῶν περὶ Φίλιππον*“. Quibus e verbis dilucide apparet in libro XLVIII[2]) Theopompum egisse de bello contra Perinthios ab Ochi satrapis adiutos gesto. Atque ex fragmento 253 concludere possumus bellum contra Scythas susceptum descriptum fuisse in libro quinquagesimo, ubi etiam Philippi vulnera, quibus apud Triballos et Scythas affectus est, commemorata fuisse duco[3]). Videmus igitur Byzantii obsidionem in libro XLIX vel in lib. XLVIII et XLIX narrandam fuisse. Neque vero uti licet eis, quae Staehelin[4]) proposuit. Putat enim ille Theopompi fragmentum 249 (F. H. G. I, 320), quo invehitur in Philippi intemperantiam et luxuriam his

---

[1]) De Maedis et Danthaletis cf. Tomaschek, Die alten Thraker, Sitz.-Ber. d. Wien. Akad. 1892, p. 61, p. 63. Schaefer, II[2] p. 515; Oberhummer, Paulyi-Wiss. R.-E. IV, 2101.

[2]) Iam supra commemoravi Perinthios a Persis adiutos esse. Malim commotus his verbis „*συμπολεμῶν τοῖς βασιλέως στρατηγοῖς*“ Foucartium sequi qui (p. 127) exposuit ut Apollodorum Atheniensem Aristomedem Pheraeum fuisse ducem mercennariorum, qui a Persis Perinthiis auxilio missi essent, quam Blassium, qui (Arch. f. Pap. Forsch. III p. 288) haec scripsit „Ferner wird aus demselben Briefe schon vorher eine Erwähnung des Pheräers Aristomedes angeführt, die sich in unserer Fassung nicht findet; sehr wohl aber konnte etwa § 5, wo von den Plünderungen des athenischen Strategen Kallias am pagasäischen Meerbusen die Rede ist, von dem Historiker ein thessalischer Helfer des Kallias erwähnt werden“.

[3]) Schaefer II[2] p. 518. Fortasse eidem libro attribuendum est fragm. 306 a. Steph. Byz. servatum „*Ἀχανοὶ ἔθνος πρὸς τῇ Σκυθίᾳ, οἳ καὶ Ἀχαρνοὶ λέγονται παρὰ Θεοπόμπῳ*“.

[4]) Staehelin, l. c. p. 149.

verbis „Φίλιππος ἐπεὶ ἐγκρατὴς πολλῶν ἐγένετο χρημάτων, οὐκ ἀνάλωσεν αὐτὰ ταχέως, ἀλλ' ἐξέβαλε καὶ ἔρριψε πάντων ἀνθρώπων κάκιστος ὢν οἰκονόμος οὐ μόνον αὐτός, ἀλλὰ καὶ οἱ περὶ αὐτόν", artissime cohaerere[1]) cum verbis in Did. col. 10, 49 allatis, quibus accepimus Philippum e CLXXX navibus ad Hieron captis DCC talenta accepisse. Quam sententiam nos sequi non possumus, quia apud Iustinum (IX, 1, 4, 5), quem hoc loco ex Theopompo hausisse infra sum demonstraturus, legimus Philippum naves illas cepisse „longa obsidionis mora exhaustum pecunia, ut mercibus distractis anhelantem inopiam paullulum recrearet". Nunc vero inspicias quaeso numerum navium. Cum Philochorus tradiderit CCXXX naves captas esse, Theopompus scripsit CLXXX, quod discrimen iam editores Berolinenses (Did. com. pag. 50) usi Philochori verbis „ἐπικρίνων τὰ πολέμια διέλυε" ita interpretati sunt, ut putarent Philippum eorum, qui sibi non infesti essent, naves dimisisse[2]) itaque hunc scriptorem omnium navium numerum praebuisse, illum hostiles tantum, quae retentae sunt, intellexisse. Si vero consideraveris Iustinum nihil exhibere nisi epitomam Pompei Trogi Historiarum Philippicarum, facile intelleges totum illius locum e Theopompo haustum esse[3]).

Iam pergamus ad reliqua fragmenta. Quam rem a Philippo gestam Theopompus narraverit, cum Melinophagos, gentem Thraciam, commemoraret, nescimus. Neque enim de iis quicquam aliud notum est nisi eorum mentionem factam esse in libro XLIX. In libro XLVIII vero aut in libro XLIX de bello Byzantio actum esse supra vidimus. Veri igitur est simile hoc fragmentum referendum esse ad Macedonum proelia tum cum Thracibus commissa.

Venimus ad librum L, quo res apud Triballos et Scythas

---

[1]) Iam J. G. Droysen, Kl. Schr. z. a. Gesch. I p. 169, contendit fragm. 249 respicere ad Iust. IX, 1, 4, 5.

[2]) Front. Strateg. I, 4, 13. Schaefer II[2] p. 516, 1.

[3]) Itaque non dubito, quin apud Iustinum, quod iam proposuerunt edit. Berol., scribendum sit „captis itaque CLXXX navibus". Nam illud X facile potuit omitti a librario.

gestas narratas esse iam supra commemoravi. Atque in proximo libro Theopompus Hieronymi Megalopolitani et Paseae et Amyrtaei Argivorum mentionem fecit[1]), qui in primis Macedonibus favebant. Itaque veri est simile hoc libro eum narravisse quomodo Athenienses et ei, qui Philippi factionis erant studiosi, conati essent Peloponnesios sibi conciliare[2]). Quomodo fragmentum 255 „*Κράνεια*[3], *χωρίον Ἀμβρακιωτῶν. Θεόπομπος πεντηκοστῷ πρώτῳ*" interpretandum sit, nescimus. Neque constat Ambraciotas tum Atheniensibus et Thebanis auxilio venisse[4]). Deinde in libro LII, cui assignandum esse fragmentum 46 editionis Didotianae, ubi non scribendum est „*Θεόπομπος ἐν β'*" sed „*ἐν νβ'*", Schaefer[5]) demonstravit, Philippi bellum Amphissaeum et expeditio Naupactia exposita erat. Proximo denique libro pugna apud Chaeroneam commissa descripta erat. Quem ob ordinem malim fragmentum 239[6]), quo res paulo post Elateam a Philippo captam gestae commemorantur, attribuere libro LI vel libro LII quam libro LIII, cui id Carolus Mueller tribuit.

---

[1]) F. H. G. I p. 322. Theop. fragm. 256. 257

[2]) Cf. Schaefer, l. c. II[2] p. 553.

[3]) Hoc *χωρίον* non longe afuisse a Craniis montibus, quibus Amphilochi et Dryopes secernebantur, e nominum similitudine elucet. Cf. Oberhummer, Akarnanien, Ambrakia, Amphilochien, Leukas im Altertum. Muench. 1887 p. 24, p. 26.

[4]) Hoc recte contra Schaeferum (II[2], pag. 427, 488) Oberhummer (l. c. p. 128) contendit. Neque vero ei assentior, quod (pag. 129, 5) ragm. 255 libri LI ad annum 343/342 rettulit. Quantum e libri numero concludere possumus, hoc fragmentum spectat ad annum 339 vel 338. Mirum autem est Ambraciotarum, quanquam cum duobus milibus militum Atheniensibus eorumque sociis auxilio venturos se esse promiserant, paucos suo Marte pugnae apud Chaeroneam commissae interfuisse. Itaque non est dubium, quin tum Ambraciotae aut a Philippo ipso aut ab eius amicis impediti sint, ne promissum praestarent. Qua de re accuratius egit Oberhummer (l. c. p. 130, 3). Fortasse hac occasione data *Κράνεια χωρίον* a Theopompo commemoratum est.

[5]) Schaefer, Jahrb. f. klass. Philol. 1859, V, p. 483.

[6]) Nonnulla de fragm. 239 nuper protulit Schubert, Unters. üb. d. Quellen z. Gesch. Philipps II. v. Maked. pag. 5.

Pars III.

De Iustini librorum ad Philippi regis aetatem pertinentium fontibus.

Quibus fontibus Pompeius Trogus vel is rerum scriptor Graecus quem ille secutus est, in Historiis Philippicis usus sit, indagare difficile est. Permultis enim ex auctoribus haurire atque ea, quae apud eos invenerat, coniungere solebat[1]). Sed nomina eorum silentio praeteriit. Huc accedit, quod non Historiae Philippicae ipsae extant, sed epitoma tantum earum a Iustino satis inepte excerpta et prologi auctoris incerti, quem ex Trogo ipso hausisse constat. Difficillimum autem est quaerere de fontibus eorum librorum, qui ad Philippum Alexandri Magni patrem pertinent, quia perpauca atque exigua sunt fragmenta eorum, qui illius aetatem descripserunt, et Diodorus, Plutarchus, Polyaenus, alii, qui de eo egerunt, eorum auctorum nomina omiserunt, quibus sua debuerunt. Quibus de causis factum est, ut de reliquis libris multi agerent, quorum in primis nominandus est A. de Gutschmid; neque vero quisquam, quantum scio, accuratius fontes libr. VII, VI—IX, VIII, quibus expositae sunt Philippi Macedonis res gestae, examinavit nisi Schubert[2]). Neque vero is videtur mihi omnino recte iudicasse. Profectus enim est ex Diodoro aliisque, quorum de fontibus nihil fere certi constat. Ne ipse quidem ad hanc

---

[1]) Cf. A. von Gutschmid, Kl. Schr. V. p. 224 sqq. Libri libellique eorum, qui de Historiarum Philippicarum fontibus egerunt, commemorat sunt a Schanzio (Gesch. d. roem. Litter. II p. 279) et a Wachsmuthio (Einl. i. d. Stud. d. alt. Gesch. p. 115).

[2]) R. Schubert, Untersuch. über d. Quellen zur Gesch. Phil. II. von Makedon. Koenigsberg 1904.

quaestionem accessissem, nisi mihi persuasissem Theopompi fragmentis apud Didymum allatis nos usos facilius atque rectius quam antea de Historiarum Philippicarum fontibus posse quaerere. Nam Pompeium Trogum hic in primis usum esse Theopompo pro certo habeo. Quis enim existimaverit hunc, cuius Historias Philippicas titulo imitatus, cuius morem origines digressionesque inserendi toto opere sectatus, cuius narrationem libris antecedentibus saepe ad verbum secutus est, in eis libris, quibus de Philippo egit, cuius res nemo auctor illo accuratius atque copiosius descripserat, omnino non ab eo adhibitum esse? Cum vero satis parvae sint Theopompi Philippicon reliquiae, etiam in aliorum auctorum testimoniis niti oportet[1]), ex quibus apparet quomodo ille de Philippi aliorumque moribus iudicaverit.

Neque vero supervacaneum est de his Trogi fontibus quaerere. Quos si cognoveris, facilius iudicabis, quibusnam auctoribus usi sint Diodorus[2]), Pausanias, Plutarchus, Polyaenus in eis narrationibus, quae ad Philippi aetatem spectant. Ne autem longus sim, leviora quantum licet omittam.

---

[1]) Cf. Schaefer-Nissen, Abriß d. Quellenkunde d. griech. u. roem. Gesch. I. Abt. 4. Aufl. p. 56–64.

[2]) Quibus ex fontibus hauserit Diodorus res Philippicas accuratius inquisiverunt Volquardsen (Über d. Quell. Diod. XI—XVI, Kiel, 1868, p. 115 sqq.), Adams (Jahrb. f. Philol. vol. 135, p. 370), W. Stern (Diodor u. Theopomp. Progr. d. Durlach. Gymn. 1891; Comment. in hon. G. Studemund p. 245), A. Kallenberg (Zur Quellenkritik in Diod. XVI. B.), Pack (Herm. vol. XI p. 179), Fr. Reuß (Jahrb. f. Philol. vol. 153 p. 317), quem sequitur Bauer (Die Forsch. z. alt. Gesch. p. 266), E. Schwartz (Paulyi-Wissowae Real-Encykl. V col. 682), Schubert (l. c.). Cuius ex dissertatione, quanquam argumentis non firmis usus est et in singulis saepe erravit, apparet non uni auctori Diodorea deberi, sed modo Theopompo modo Duridi, modo aliis. Perscrutanda sunt singula capita, singulae paragraphi, singulae sententiae. Utrum Diodorus ipse an alius auctor illas narrationes compilavisset nemo accuratius adhuc quaesivit nisi E. Schwartz, qui haec scripsit (l. c. p. 683): D. muß das Machwerk irgend eines rhetorischen Schulmeisters vor sich gehabt haben, aus einer Zeit in der sich die dem 3. Jahrh. noch fremde, politische u. aesthetische Anbetung des Demosthenes ausbildete".

Quinto septimi libri capite narrat Iustinus Philippum Thebanis obsidem ab Alexandro fratre traditum tres per annos Thebis moratum et „in domo Epaminondae, summi et philosophi et imperatoris“ educatum esse[1]). Eadem eisdem fere verbis „obses triennio Thebis habitus“ tradit Iustinus in lib. VI, IX, 6 et 7, ubi paragraphis antecedentibus secutus est Theopompum. Nam item hic Athenienses vituperantur atque in Theopompi fragmentis 95 et 96. Huc accedit, quod in Iust. VI, IX, 6 legimus verba „inter vitia Graecorum“, quae optime quadrant ad Theopompi rationem scribendi[2]). Itaque si non certum tamen veri est simile etiam ea, quae de Philippo obside utroque loco eisdem fere verbis narrantur, ex Theopompo petita esse. Constat autem illum auctorem, ex quo sua sumpsit Trogus, erravisse his verbis „Alexander . . . per eundem (Philippum) obsidem cum Thebanis gratiam pacis reconciliat“ (V, I, 2)[3]). Quo errore commotus Trogum adisse Ephori narrationem pronuntiavit Schubert his (p. 2): „Diese Quelle dürfte keine andere sein als Ephorus“. Cum enim Iust. VII, III, 1–IV, 2 similia esse verbis Herodoteis (Her. V, 18–22) atque Ephorum Herodoto saepe usum esse notum sit, hunc quoque locum ait a Trogo depromptum esse ex Ephoro. Concedo eum auctorem, quem secutus est Trogus, erravisse, concedo verba Iustini (VII, III, 1–IV, 2) simillima esse Herodoteis. Neque vero concedo Schuberto Iust. VII, V, 2 propter ea ex Ephoro fluxisse, quod Iust. VII, III–IV, 2 inde sumpta videntur. Id ipsum autem nego. Neque enim puto Ephorum Herodoti narrationem ad verbum descripturum

[1]) Falsa tradidit Diodorus (XVI, 2), quod scripsit Philippum una cum Epaminonda educatum esse. (Cf. Schuberti l. p. 1). Itaque non ex Trogi fonte hausit. Sed spectandum est etiam apud Diodorum de Epaminondae studiis philosophicis verba fieri.

[2]) Hac de re conferas ea quae scripsi in pag. 60. Vestigia Theopompi nos habere in l. VII, I, 11, ubi Midas his verbis „nam is quoque portionem Macedoniae habuit“ commemoratur, collatis Theopompi fragm. 74—78 monet me Wilcken. Cf. etiam Iust. XI, VII, 14.

[3]) Cf. Schaefer, Demosthenes u. s. Z., II² 12, 13, 2.

fuisse. Nam adeo congruit utraque narratio dummodo consideres apud Iustinum praeberi epitomam, ut in Iustiniana nihil additum, nihil mutatum esse putes. Immo vero illum auctorem Graecum, quem secutus est Trogus, haec ex Herodoto ipso petisse existimo[1]).

Accedo ad extremum caput quintum. Hic narratas esse res eximia diligentia[2]) demonstravit Udalricus Koehler (Herm. vol. XXIV p. 642). Itaque cum Schuberto[3]) non dubito, quin haec debeantur Theopompo. Eiusdem, qui Philippum summum totius Europae virum vocaverat (fragm. 27, cf. etiam fragm. 285) nos etiam in Prol. lib. VII invenire puto vestigium, ubi legimus, „usque ad magnum Philippum".

Proximo capite (VI) narrat Iustinus a Philippo regnum Macedonum diu ab hostibus oppugnatum restitutum esse. „Magna", ut eius verba afferam, „de illo spes omnibus fuit et propter ipsius ingenium, quod magnum spondebat virum" (VII, VI, 1). Quae non aliena esse a Theopompo iam vidit Schubert[4]). Neque vero ei contigit, ut eiusdem capitis § quintam, ubi legimus ab illo Macedones paulatim assuefactos esse hostibus resistere, ad Diyllum referret. Omnino enim ignoramus, quo ex auctore ille locus Diodoreus (XVI, 2, 5), cui Iustinianus similis est, haustus sit[5]). In l. VII, VI, 6 Trogus cum eodem fonte usus quo Libanius[6]) narraret quo-

---

[1]) Theopompum conscripsisse ἐπιτομὴν τῶν Ἡροδότου ἱστοριῶν scimus (Suid. s. v. Θεόπομπος; F. H. G. I p. 278 fragm. 1—5).

[2]) Cf. haec verba „Philippus diu non regem, sed tutorem pupilli egit". Hoc reliqui auctores silentio praeterierunt.

[3]) Schubert l. l. p. 3.

[4]) Theop. fragm. 27; fragm. 285. Schubert, l. l. p. 3. „Usque ad magnum Philippum" legimus in Prol. l. VII.

[5]) Quod demonstrare studet oracula apud Iust. VII, VI, 1 narrata Philippo vivo orta esse, quod in eis Alexandri Magni ratio habita non sit, Schubertus (p. 3) me non habet assentientem. Neque enim quicquam aliud legimus illic nisi haec „uno ex Amyntae filiis regnante florentissimum fore Macedoniae statum, cuius spei scelus nunc matris hunc residuum fecerat". Quod vaticinium ex eventu factum esse elucet.

[6]) Liban. vit. Demosth. Westermann, Vit. Script. Graeci Min. p. 297. Schubert, l. c. p. 39/40.

modo Philippus primum cum Atheniensibus congressus esset, de illius insidiis atque dolis non aliter iudicavit ac Theopompus [1]) quem Polybius testatur illum propter perfidiam vituperavisse [2]). Nempe haec opinio probabilior est quam Schuberti, qui (p. 40) hunc locum Diyllo attribuit, cuius historiarum ratio nobis satis est obscura. Quid? quod ille etiam haec verba „bello in Illyrios translato multa milia hostium caedit" eidem assignat. Haec breviora sunt quam ut unde haustae sint ex eis ipsis possit intellegi. Sed Theopompi vestigia etiam hic habes. Legimus enim in Trogi Prol. VII „additae .... Illyriorum et Paeonum origines". Ille autem ut solebat inserere historiis suis origines hac Philippicon parte origines ita inseruit Illyriorum et Paeonum. Hoc demonstratur fragmentis 41, 42, 43, 44 [3]). Tum narrat Iustinus Thessalorum de improviso a Philippo captorum equites exercitui Macedonico insertos esse. Non Diyllum [4]) Trogus hoc loco videtur secutus esse, sed Theopompum. Hunc enim narravisse Thessalos proditione in Philippi potestatem venisse elucet ex fragmento 37 „*Κινέας εἷς ἦν τῶν προιεμένων Φιλίππῳ τὰ Θετταλῶν πράγματα*" [5]). De fonte proximae para-

---

[1]) Compares velim cum Iust. VII, VI, 6 „militum trepidos animos firmaret" haec, quae legimus apud Diod. XVI, 2, 5 „*περίφοβοι καθειστήκεισαν καὶ .... ἀθύμως εἶχον*"; 3, 1 „*εὐθαρσεῖς ἐποίησε*"; 3, 6 „*εὐθαρσεστέρους ἐποίησε*" atque cum Iust. VI, 6 „sine pretio dimisit" haec „*ὑποσπόνδους ἀφῆκεν*", quae legimus apud Diod. 3, 6, et „*ἀφῆκεν ἄνευ λύτρων*", quae scripsit Libanius in vita Demosthenis. Manifestum est haec inde petita esse unde Iustiniana.

[2]) Theop. fragm. 27. (Polyb. VIII, 11).

[3]) Dubitari non potest, quin permulta eius modi fragmenta Theopompi, quae cum alii auctores tum Athenaeus nescio qua causa servaverunt, ex his originibus sumptae sint, quibus ille gentes et populos eorumque mores et instituta et *μύθους* descripsit. Cf. pag. 67, 2.

[4]) Haec Schubert ex eodem auctore hausta esse contendit (p. 27.) quo Diod. XVI, 59, 4, nulla alia causa commotus nisi quod apud Iustinum legimus „Thessaliam ...... nihil minus quam bellum metuentem improvisus expugnat" et apud Diodorum „*ὁ δὲ βασιλεὺς ἄνευ μάχης ἀνελπίστως καταλύσας τὸν ἱερὸν πόλεμον*".

[5]) Itaque non sequor Schaeferum, qui (Demosth. u. s. Zeit, II[2]

graphi (§ 10) nihil certi potest proferri. Neque vero omittam Theopompum hac Philippicon parte exposuisse mores Molossorum (fragm. 43). Atque facile est coniectu eum de illis locutum esse ea occasione, qua verba fecit de Philippi et Olympiadis coniugio. Neque haec verba „quae causa illi exitii malorumque omnium fuit“ et ea, quae sequuntur, abhorrent a Theopompi indole[1]). Extremo autem capite, quo Methones expugnatio narratur, Pompeium ex Theopompo hausisse nunc quidem cognosces, si haec verba comparaveris:

Theop. ap. Did. 12, 44—48:	Iust. VII, VI, 14:
περὶ μὲν γὰρ τὴν Μεθώνης πολιορκίαν τὸν δεξιὸν ὀφθαλμὸν ἐξεκόπη τοξεύματι πληγεὶς, ἐν ᾧ τὰ μηχανώματα . . . . ἐφεώρα, καθάπερ Θεόπομπος.	Cum Methonam urbem expugnaret in praetereuntem de muris sagitta iacta dextrum oculum regis effodit.

Atque ex eodem sua sumpsisse videtur Diodorus, quantum ex his verbis „*εἰς ὀφθαλμὸν πληγέντα τοξεύματι*“ concludi potest. Utrum Iustinus, qui scripsit illo vulnere Philippum nec segniorem in bellum nec iracundiorem in hostes factum esse, et Diodorus, qui narrat Methonaeis omnia praeter unum vestimentum erepta esse, ex eodem auctore hauserint necne diiudicare nequeo. Totam vero Iustini narrationem ex Theopompo fluxisse mihi persuasum est, quia similem in modum eum Philippi virtutem laudibus extulisse constat[2]), cum haud sciam an Diodorus vel is auctor Graecus, quem secutus est, Theopompi narrationem cum alia composuerit[3]). Videmus igitur Pompeium Trogum de Philippo in plerisque septimi libri paragraphis eundem in modum iudicantem. Omnibus in rebus bellicis est clarissimus, a nulla perfidia

p. 430, 3) apud Harpocr. scribere vult *Θεόπομπος ἐν να'* pro *Θεόπομπος ἐν α'*, quod extat in codice.

[1]) Cf. etiam ea quae Mueller adnotavit ad Theop. fragm. 233.

[2]) Cf. Theop. fragm. 28 (Polyb. XII, 27).

[3]) De hoc quidem Diodori loco Schubert (p. 43) recte mihi videtur iudicavisse, quanquam ei plenius Theopompi fragmentum apud Didymum servatum notum non fuit.

a nullo scelere abhorret. Hoc autem fuisse Theopompi consilium scribendi apud Polybium legimus. Atque satis multis locis eum cum Iustino congruere demonstravisse mihi videor. Quanquam de compluribus Iustini paragraphis certa argumenta non protulimus, nullum invenimus vestigium, ex quo appareret etiam aliis ex fontibus Pompeium Trogum hausisse.

Accedo ad librum octavum, cuius in primo capite legimus Graecos inter se discordes de principatu certavisse, denique autem a Philippo oppressos esse. Haec Ephoro tribuit Schubert (p. 44), cuius verba „derartige Betrachtungen dürften am besten einem Zeitgenossen wie Ephorus [1]) entsprechen“ omni vi argumentandi carent. Malim autem etiam haec „Graeciae civitates, dum imperare singulae cupiunt, imperium omnes perdiderunt“ ad Theopompum referre, qui quam vehementer in Athenienses invehi solitus sit satis notum est [2]). Neque vero ab eo solum Athenienses vituperatos esse, sed etiam Lacedaemonios et Thebanos mihi patere [3]) persuasi ex eo, quod Anaximenes eius morem scribendi imitatus *Τρικάρανον* eum finxit componentem *ἐς Ἀθηναίους καὶ ἐπὶ Λακεδαιμονίοις ὁμοῦ καὶ Θηβαίοις* [4]), quo maiore apud Graecos ille odio afficerentur [5]). Proximis autem paragraphis Thebanis summo crimini datur, quod Lacedaemonios et Phocenses apud commune Graeciae concilium [5]) superbe accusaverint. Atque id Pompeius dicit eis maiori opprobrio fuisse quam Phocensibus, quod templum Apollinis dirutum esset [6]). Neque praeter-

---

[1]) Etiam Theopompus erat Philippi aequalis.

[2]) Cf. Theop. fragm. 167; 172.

[3]) Cf. A. Riese, Jahrb. f. Philol. 1870 p. 684. Brzoska, Paulyi-Wissowae Real-Encykl. I col. 2096 (Anaximenes).

[4]) Pausan. VI, 18, 5.

[5]) De Amphictionibus verba fecit Theopompus etiam in lib. VIII. Cf. fragm. 80.

[6]) Haec Iustini verba (VIII, I. 10) „Factum Phocensium, tametsi omnes execrarentur propter sacrilegium, plus tamen invidiae Thebanis, a quibus ad hanc necessitatem compulsi fuerant, quam ipsis intulit. Itaque auxilia his et ab Atheniensibus et a Lacedaemoniis missa“ nimis pressit Schubert ita locutus „In den letzten Worten wird hier der Ver-

mittam haec verba „Thebani, qui cum rerum potirentur, secundam fortunam imbecillo animo ferentes“. Cum hunc in modum Thebani obiurgentur, Phocenses sacrilegi vocantur ita, ut hanc partem ex eodem fonte fluxisse intellegamus atque priorem alterius capitis (II, 1—7), ubi et Thebanis et Phocensibus et Philippo maledicitur. A Theopompi more maledicendi aliena non sunt[1]). Accedit autem aliud argumentum[2]), quod, quamvis sit levius, tamen non neglegendum esse puto. Similia sunt illa §i quartae verba, quae modo laudavi, huic Demosthenis loco (de cor. 18) „*οἷς γὰρ εὐτυχήκεσαν ἐν Λεύκτροις οὐ μετρίως ἐκέχρηντο*“ [3]). Theopompus autem videtur saepius usus esse Demosthenis orationibus[4]) neque eum orationem de corona habitam, ut erat celeberrima, ignorasse est probabile. Itaque non prohibemur hoc loco de Theopompo huius paragraphi auctore cogitare. Atque haec Iustini verba (§ 9) „Inde auro et pecunia divites conducto mercennario milite“ conferas quaeso cum Theopompi fragmentis 182 et 183, quanquam his commemorantur singula, quae bello Phocensi acciderunt. Haec quoque verba „Philomelus . . . sacrilegii poenas impio sanguine luit“ attribuam Theopompo. Hunc enim docuisse a deis eos morte multatos esse, qui donaria Delphica diripuerant, apparet ex fragmento 182. Ad eundem Theopompum ne referamus Diodori verba (XVI, 31, 4) „*δοὺς τῷ δαιμονίῳ δίκας κατέστρεψε τὸν βίον*“ nos puto impediri[5]) eo, quod apud Diodorum legimus „*ὁ δὲ*

---

such gemacht die Athener und Lacedämonier wegen ihrer Unterstützung der Phokier zu entschuldigen, und dieser Umstand legt uns die Frage nahe, ob der Verfasser der Quelle nicht selbst ein Athener war“.

[1]) Aliter censet Schubert (p. 33, 49, 54).

[2]) Hoc iam vidit Schubert (p. 33).

[3]) Animum advertas si placet ad Diod. XVI, 23, 2 „*διὰ τὴν κατάληψιν τῆς Καδμείας*“ et ad Diod. XVI, 23, 4 „*διδάσκων ὡς ἐκτῖσαι μὲν οὐ δύνανται τὰ πράγματα*“, quae ad verbum fere congruunt cum his verbis „quod arcem Thebanam occupassent“ et „tanta pecunia damnantur, quanta exsolvi non posset“, quae apud Iust. VIII, I, 5 et VIII, I, 7 legimus.

[4]) Conferas velim ea quae scripsi pag. 29.

[5]) Aliter iudicat Schubert (p. 49).

Φιλόμηλος . . . ἑαυτὸν κατεκρήμνισε“, apud Iustinum autem „Philomelus primus inter confertissimos dimicans cecidit“. Neque vero negemus non esse necessarium haec verba „*δοὺς τῷ δαιμονίῳ δίκας*“ et „sacrilegii poenas impio sanguine luit“ uni esse auctori propria.

Sed pergamus ad proximum caput. Cuius initium a Theopompo non abhorrere supra commemoravi. Accedit vero aliud argumentum, quod capere licet ex his verbis „Philippus quasi sacrilegii .. ultor .... omnes milites coronas laureas sumere iubet atque ita veluti deo duce in proelium pergit“. Simillima[1]) enim narrantur in Diod. XVI, 79, 4 „*ὁ Τιμολέων ἔφη δέχεσθαι τὸν οἰωνὸν τῆς νίκης· τὸν γὰρ Ἰσθμιακὸν στέφανον ἐκ σελίνου συνίστασθαι· οἱ δὲ στρατιῶται παραγγείλαντος τοῦ Τιμολέοντος ἐκ τῶν σελίνων πλέξαντες στεφάνους καὶ ταῖς κεφαλαῖς περιθέντες προῆγον μετὰ χαρᾶς, ὡς τῶν θεῶν προσημαινόντων αὐτοῖς τὴν νίκην*“. Atque accuratius de Timoleonte egisse Theopompum elucet e fragmento 215. Neque ignotum est eum saepius protulisse mirabilia (cf. fragm. 69, 211, alia) atque saepius eisdem argumentis usum esse (cf. fragm. 124, 135, 198). De paragraphis 5, 6, 7, quas ad Theopompum rettulit Schubert nullo firmo argumento nixus (cf. pag. 10, pag. 46), certiora proferre non possumus nisi eas non a Theopompi arte scribendi alienas esse. Similem in modum quo supra in Thebanos, Phocenses, Philippum Iustinus etiam in Athenienses, qui tum Thermopylas occupaverant, invehitur, quos vocat „propugnatores sceleris, cuius turpe erat alios vindices fuisse“. Neque habeo, quod Schubertum redarguam, qui haec Theopompo summo Atheniensium obtrectatori assignat (p. 6, 7, 10).

Utroque igitur capite nullum alius auctoris ac Theopompi indicium repperimus[2]). Modo obiurgat Thebanos, modo Pho-

---

[1]) Similia narrantur etiam de Eumene et de Constantino (cf. Schubert p. 61). Oraculo non dissimili usus est Shakespeare (Macbeth V, 4—7).

[2]) Velim conferas Iust. VIII, II, 11 „quod in dubiis rebus suis illo deo etiam consiliorum auctore usi fuerant“ et VIII, II, 12 „ingenia pulcherrimis legibus institutisque formata“ cum Diod. XVI, 57, 4

censes, modo Philippum, modo Athenienses. Per utrumque caput invenies eandem invidiam, eundem scribendi colorem.

Iam ad caput tertium pervenimus. Hic, quaeso, sis memor huius Polybii loci[1]) „(Θεόπομπος) .... φήσας (Φίλιππον) ἀδικώτατον δὲ καὶ κακοπραγμονέστατον περὶ τὰς τῶν φίλων καὶ συμμάχων κατασκευάς“[2]) e. q. s. Nonne legis apud Iustinum quanta in socios et hostes fraude atque perfidia fuerit Philippus? Immo vero vocatur sacrilegus, a quo deorum simulacra et templa deleta sint. Nonne tibi eorum verborum in mentem venit, quibus ille in sacrilegium Phocensium et Atheniensium invectus est? Nimirum uno eodemque auctore usus est.

Atque in sequentibus paragraphis item describuntur mores Philippi. Perfidum atque fraudulentum se praebet. Et his verbis „bello pari perfidia gesto captisque per dolum ... regibus“ probatur hanc esse Φιλιππικῶν narrationem. Etiam haec (fragm. 27) „πλείστας δὲ πόλεις ἐξηνδραποδισμένον καὶ πεπραξικοπηκότα μετὰ δόλου καὶ βίας“ tibi proponam, quibuscum quaeso compares Iustini tertii capitis paragraphos 2, 3, 6. Non solum architectos arcessitos per dolum cogit infectis rebus Macedoniam relinquere, sed etiam crudelissime et perfide in fratres et in Olynthios se gerit Philippus. Neque omittam scriptum esse in Prol. VIII „bellum quod cum Chalcidicis urbibus gessit“. Quod bellum expositum fuisse in Theopompi libro XX elucet e fragmento 139, ubi commemoratur Philippi ὕβρις. Quadrat igitur hoc optime ad Iustinum. Quid? quod legimus apud Iust. VIII, III, 13 haec „et ne quod ius vel fas inviolatum praetermitteret,

---

„Ἀθηναῖοι μὲν οὖν περὶ τὸ θεῖον τοιαῦτ᾽ ἔπραξαν, καὶ ταῦτα εὐχόμενοι τὸν Ἀπόλλωνα πατρῷον αὐτῶν εἶναι καὶ πρόγονον. Λακεδαιμόνιοι δὲ .... τὴν θαυμαζομένην παρὰ πᾶσι πολιτείαν διὰ τούτου κτησάμενοι“. Diodorea existimo fluxisse ex eodem fonte unde Iustini verba.

1) Polyb. VIII, 11.

2) Simillima legimus apud Paus. VIII, 7, 5 „ὅρκους θεῶν κατεπάτησεν ἀεὶ καὶ σπονδὰς ἐπὶ παντὶ ἐψεύσατο, πίστιν δὲ ἠτίμασε μάλιστα ἀνθρώπων“. Ad Theopompum haec censeo esse referenda.

piraticam quoque exercere instituit". Nonne meministi horum Polybii [1]) verborum ad Theopompi *Φιλιππικὰ* pertinentium „*προθέμενος γὰρ ὡς περὶ βασιλέως εὐφυεστάτου πρὸς ἀρετὴν γεγονότος οὐκ ἔστι τῶν αἰσχρῶν καὶ δεινῶν ὃ παραλέλοιπεν*“ [2]). Nullum igitur invenimus argumentum, quo commoveamur, ut putemus non ex eodem auctore totam Iustini narrationem fluxisse, quem Theopompum, cuius non pauca occurrerint vestigia, fuisse est probabile.

Neque vero haec proximi capitis verba „legati Atheniensium petentes pacem ad eum venerunt" aliena sunt a Theopompi adversus Athenienses invidia. Atque idem in Thebanos odium, quod iam in cap. I § 4 vidimus, reperimus in quarta et quinta eiusdem capitis paragrapho, ubi legimus „(Boeotii) tanto odio Phocensium ardentes, ut obliti cladium suarum perire ipsi quam non perdere eos praeoptarent".

Tum narrat Iustinus Phocenses pecunia ter a Philippo soluta impetravisse, ne bellum sibi inferret. Unde apparet Pompeium ex apprime perito Philippicae aetatis auctore hausisse. Nam reliqui auctores silent hac de re. Deinde invehitur in Thebanos et Lacedaemonios, qui tam pravos se praebuerint, ut Philippum adularentur. Haec omnia optime quadrant ad Theopompi scribendi rationem. Septima autem in paragrapho („Foedum prorsus miserandumque spectaculum, Graeciam etiam tunc et viribus et dignitate orbis terrarum, regum certe gentiumque semper victricem" e. q. s.), Graeci eodem modo barbaris praeferuntur quo in paragrapho 12 c. p. II, quam mihi videor ad Theopompum rettulisse [3]). Totus ses... huius capitis color est Theopompeus [4]). Huc accedit, paulo infra eandem legimus descriptionem Philippi ..., quam Theopompi esse cognovimus. Eundem habes

[1]) Polyb. VIII, 13; VIII, 11.

[2]) Quod causa belli contra Cersoblepten suscepti non accurate exposita est, non auctori primario, sed Trogo vel Iustino epitomatori attribuendum est.

[3]) Cf. Riese, Jahrb. f. Philol. 1870, pag. 677, cf. Theop. fragm. 297.

[4]) Similia atque Iustinus (c. IV, 12) habet Frontinus (I, 4, 6).

Theopompum in quinto capite, quo illius in Phocenses et in socios perfidia non aliter atque in capitibus antecedentibus vituperatur. Noli iniquo ferre animo, quod tibi iterum propono haec fragmenti 27 verba „*ἀδικώτατον δὲ καὶ κακοπραγμονέστατον περὶ τὰς τῶν φίλων καὶ συμμάχων κατασκευάς*“, quae velim conferas cum his Iustini verbis „cum Philippus portione praedae socios fraudasset“.

Ex proximis autem paragraphis[1]) ipsius Pompei Trogi rationem rhetorice scribendi optime intelleges. Imitatus enim videtur esse Livii lib. I cap. 29 ut tamen hunc superare studuerit, nisi forte putas exercitationibus rhetoricis, quibus talia tractari solebant, utrumque sua debere.

Neque vero ex eis paragraphis, ubi legimus a Philippo alias gentes huc, alias illuc translatas esse, sequitur hanc rem ab Ephoro, a quo voluit Schubert[2]), petitam esse, quia unicuique auctori, qui res Philippicas descripsit, ea erat tractanda. Num putas eam omissam esse a Theopompo? Caput fere totum, quod antecedit, praeter illa Liviana meo iure rettulisse videor ad Theopompum atque eidem proximi capitis paragraphum tertiam esse adscribendam ex verbis „fraude captos“ sumam.

Extrema quoque huius libri verba, quae sunt de Alexandro, Olympiadis fratre, omni Theopompi colore sunt exstructa, qui etiam alibi (cf. fragm. 182) tradidit Philippum fuisse deditum *παιδικῷ ἔρωτι*.

---

[1]) VIII, v, 7—13.

[2]) Haec sunt Schuberti verba (p. 42) „Der hier wiedergege[illegible] richt dürfte die Auffassung, die Ephorus von Philipp gehab[illegible] gut zum Ausdruck gebracht haben“. Omnia argumenta [illegible] Schubert demonstrare studet Trogum ex Ephoro hausisse nihil fere valent nisi hoc, quod iam protulit A. de Gutschmid (Kl. Schr. I p. 8) „Wenn man sieht, daß Trogus sein 8. Buch mit der Belagerung von Perinth durch Philipp schließt, die den Schluß des Geschichtswerkes des Ephorus bildete . . . ., so wird man in diesen Übereinstimmungen keinen Zufall, sondern den Beweis sehen, daß Trogus Ephorus . . . . . als Hauptquellen benutzt hat, deren Periodisierung für ihn bestimmend gewesen ist“. Qua de re mihi agendum erit pag. 66.

5

Omisso igitur illo loco Liviano non habes, cur compluribus ex fontibus in his paragraphis Trogum hausisse putes. Eandem Philippi perfidiam, idem in propinquos odium invenimus, quod ei Theopompus solebat dare opprobrio, praeter illos locos, quibuscum congruerunt illius ipsa fragmenta.

At extremo quidem in libro Trogum secutum esse Ephori Historias Gutschmid arbitratus est, quoniam hic opus suum concludit obsidione Perinthiorum, ad quam etiam ille libros suos perduxit[1]). Sed ne huic quidem argumento nimiam vim attribuam. Fortasse etiam Theopompus in altero libro Perinthi, in altero Byzantii oppugnationem descripsit. Ne hoc quidem ex his Diodori verbis „*Ἔφορος .... τὴν ἱστορίαν κατέστροφεν εἰς τὴν Περίνθου πολιορκίαν*“ potest colligi ab Ephoro narratam esse totam Perinthi obsessionem. Pompeius Trogus autem videtur initio libri IX eius finem tractavisse. Hoc quidem sumam ex his prologi IX verbis „Ut Philippus a Perintho summotus“, quanquam concedo non omnino veri dissimile esse et Trogum initio IX libri breviter retractavisse Perinthi obsessionem ut librum nonum coniungeret cum octavo, et priorem descriptionis partem eum ex Ephoro, posteriorem ex alio scriptore hausisse. Gutschmidii autem sententiam, quanquam eam accuratius redarguere non possum, sequi nequeo, quia permulta in verbis antecedentibus atque sequentibus inveni vestigia Theopompi, neque unum Ephori. Itaque casu factum esse censeo, ut Trogi liber octavus et Ephori libri usque ad obsessionem Perinthi perducerentur.

Pervenimus iam ad librum nonum. Cuius statim initio, quo Philippi cupiditas divitiarum Graecarum reprehenditur, Theopompi scribendi ratio proditur, qui *ἄπληστον* illum appellaverat (fragm. 249). Tum procedit Iustinus ad Byzantii obsidionem: ubi, si legeris paragraphum tertiam ad Byzantii

---

[1]) Cf. Prol. Pomp. Trog. Hist. Phil. lib. VIII., Ephori fragm. 157 (Diod. XVI, 76).

origines pertinentem [1]), recordaberis Theopompum solitum esse in Historiis Philippicis digredi ad describendas gentium et urbium origines [2]). Ex eodem ea, quae ad Byzantii obsessionem atque ad CLXXX naves a Philippo captas pertinent, petita esse supra (p. 52) demonstravi. Quod apud Iustinum legimus Philippum in Scythas profectum esse, ut praedaretur et praeda capta more negotiantium, ut eius verbis utar, impensas belli alio bello reficeret, optime cum eo more narrandi, quo Theopompus utebatur, congruit [3]). Eiusmodi sunt etiam ea quae extant in fragmento 249 „στρατιώτης γὰρ ὢν λογίζεσθαι τὰ προσιόντα καὶ τἀναλισκόμενα δι᾽ ἀσχολίαν οὐκ ἠδύνατο".

Cum vero satis sit probabile primum caput totum ex Theopompo pendere, etiam res Scythicas persuasum habeo altero capite narratas ad eundem referendas esse. Atque his utor argumentis. Primum legimus in Prol. lib. IX descriptas fuisse Scytharum origines. Servavit igitur Trogus etiam hic illum Theopompi morem. Deinde Philippus eadem invidia eodemque odio quo supra vituperatur. Callidissime enim conatur opprimere Atheam regem Scytharum, qui eius astutia vincuntur. Neque habes cur mihi opponas ea, quae

---

[1]) Codices habent IX, 1, 3 „urbs condita primo a Pausania", ubi Duncker (Gesch. d. Altert. XIII, p. 142) proposuit „capta", quod probaverunt Busolt (Griech. Gesch. II, 379) et Ruehl (in edit. sua), cum Wilamowitz (Aristot. u. Athen I p. 145, 40) codicum memoriam recte defendat. De ipsa re conferendus est E. Meyer (Forschung z. a. Gesch. II p. 60) et C. F. Lehmann (Klio II 1902 p. 345). Ad Byzantii origines referendum est etiam fragmentum 65, quod ἐν ὀγδόῃ Φιλιππικῶν se legisse Athenaeus affirmat. Fortasse autem apud Athenaeum pro ἐν η' Φιλιππικῶν legendum est ἐν μη' Φιλιππικῶν, quo in libro Byzantii obsidio descripta est. Etiam in Prol. IX legimus „Byzantii origines". Et apud Iustinum et apud Theopompum talia verba fiunt de Byzantiorum democratia, ut inde certissimum argumentum sumi possit Trogi fontem fuisse Theopompi opus.

[2]) Dionys. Halic. ad Cn. Pomp. 6. p. 783 (ed. U.-R. II p. 245) „καὶ γὰρ ἐθνῶν εἴρηκε οἰκισμοὺς καὶ πόλεων κτίσεις ἐπελήλυθε". In Hellenicis nuper editis (Pap. Oxyr. V 842) multas inveniri παρεκβάσεις nemo non videt.

[3]) Videntur ex Theopompo fluxisse haec verba Frontini (I, 3, 4) „ut Philippus obsidionalis morae impatiens recederet".

de rationibus, quae inter Philippum et Atheam intercesserint, capite II scripta sunt, minime facta esse. Neque enim Theopompus Herodoto quam Thucydidi similior id solum egit, ut res gestas quam accuratissime tractaret, sed etiam ut historiolas varias mirabilesque narrationes insereret[1]. Denique ea, quae de praeda Scythica proferuntur, hausta sunt ex auctore apprime bono[2], quem Theopompum fuisse pro certo habeo. Restat autem, ut te moneam nihil obstare, ne putemus descriptionem pugnae contra Triballos commissae ex eius Philippicis fluxisse[3].

Nulla igitur hactenus invenimus vestigia, ex quibus apparet in hac parte Historiarum Philippicarum complures fontes a Trogo conexos esse. Ubique autem invenimus eandem in Thebanos, in Athenienses, in alios invidiam eandemque Philippo maledicendi libidinem, quarum utraque Theopompum abundavisse constat. Neque vero opponi mihi potest illum re vera saepe crudelem, saepe perfidum se praebuisse. Quod omnes concedunt. Sed his libris ubique obiurgatur, ubique vituperatur. Nunquam eius res gestae, quamvis sint praeclarae, laudibus efferuntur. Atque satis multi occurrerunt nobis loci Theopompei. Itaque Pompeium Trogum hac Historiarum Philippicarum parte eo usum esse mihi est persuasum.

Iam quaeramus de posteriore capitis tertii parte, ubi haec legimus[4] „Facta igitur inter duas paulo ante infestissimas civitates societate legationibus Graeciam fatigant". Quae verba videtur mihi recte esse interpretatus Schubert hunc in modum[5] „und vorher erkennt man Theopomp § 6 an der

---

[1]) Dionys. Halic. a. d. Cn. Pomp. 6 p. 784 (ed. U.-R. II p. 245) Strab. I p. 43 („Θεόπομπος . . . . φήσας ὅτι καὶ μύθους ἐν ταῖς ἱστορίαις ἐρεῖ"). „Θαυμάσια" nomen erat libri octavi. Cf. fragm. 66.

[2]) Puto Theopompum ipsum non scripsisse „XX milia nobilium quarum" in Macedoniam missa esse. Aut depravatus est numerus aut rrore scriptus a Pompeio vel Iustino. De re ipsa cf. Bauer, Kriegsaltert. p. 427.

[3]) Cf. pag. 38 sqq.

[4]) Iust. IX, III, 6.

[5]) pag. 28.

Bemerkung, daß die Athener vor der Schlacht bei Chäronea alle griechischen Staaten mit ihren Gesandtschaften ennuyirt[1]) haben". Neque vero ex eo loco, ubi Iustinus narrat maiorem fuisse exercitum Atheniensium quam Philippi, cum Diodorus ab eo dissentiat, certa quidem coniectura concludi potest haec a Theopompo deprompta esse[2]). Atque fortasse praebentur apud Iustinum accuratiora. Quin illae laudes, quibus Atheniensium fortitudo exeunte capite effertur, non Theopompo, quo nemo unquam rerum scriptor gloriae illorum magis invidebat, assignandae sint, neminem puto esse, qui dubitet. Etiam post pugnam Chaeronensem Theopompum vituperasse Athenienses discimus ex fragmento 263 apud Plut. Dem. 21 tradito[3]).

Deinde narrat Iustinus quam diligenter Philippus, quanquam victoria apud Chaeroneam reportata gaudebat, operam dederit, ut Graecorum animis quam maxime parceret. Atque, ut illius verbis utar „ita inter tacitam laetitiam et dolorem hostium temperavit, ut neque apud suos exultasse neque apud victos insultasse videretur". Quem locum Schubert (p. 11) cum Theopompi fragmento 262 apud Athen. X p. 435 servato comparatum ad illius Φιλιππικά referre studet. Hic autem legimus Philippum, postquam legati Atheniensium e convivio abierunt, gaudio victoriae elatum indignum in modum se gessisse[4]). Quae si comparaveris cum illa narratione, intelleges Iustinum non modo non ex Theopompo eam hausisse, sed etiam contraria tradidisse. Immo vero haec verba eo consilio conscripta sunt, ut consulto illius narrationi opposita esse videantur. Quem auctorem secutus sit Trogus

---

[1]) De hac verbi fatigandi vi cf. Iust. VI, II, 12; XVIII, I, 1; XXIII, II, 9.

[2]) De numero utriusque exercitus, qui pugnae apud Chaeroneam commissae interfuit, velim inspicias ea, quae scripserunt Beloch (Gr. Gesch. II. p. 565, 3) et Kromayer (Ant. Schlachtfeld. I p. 187).

[3]) Haec Iustini verba „Thebani metuentes ne victis Atheniensibus veluti vicinum incendium bellum ad se transiret" confirmantur Philochori fragmento apud Didymum (col. 11, 45) tradito.

[4]) Cf. etiam Reuß, Wochenschr. f. Klass. Philol. 1905, p. 115.

proximis paragraphis, ubi nihil fere aliud nisi facta ipsa praebentur, difficillimum est diiudicatu, quam haec Iustini verba „etiam interfectorum sepulturam vendidit" videntur Theopompum redolere. Unde etiam haec verba „pulsos per iniuriam in patriam restituit" fluxisse veri non est dissimile. Neque vero ullam habemus ansam, qua evinci possit cui auctori sit attribuenda paragraphus decima. Quae est verborum antecedentium quasi παράφρασις, ubi omnia sunt dicta rhetorice. Fortasse haec ipse excogitavit Trogus (cf. pag. 65).

Secutus igitur est Iustinus usque ad pugnae Chaeronensis tempora in primis Theopompi Philippica, deinde etiam alterius auctoris narrationem, de posterioris autem capitis quarti partis auctore primario nihil certi statui potest.

Ne ex eis quidem, quae in proximo capite traduntur, concludi potest quonam ex fonte ea hauserit Pompeius Trogus. Neque enim quicquam, si excipis paragraphum tertiam, hic commemoratum est nisi res ipsae tum factae. Utrum illa laus, qua afficiuntur Lacedaemonii (§ 3), ad Theopompum, qui alibi eos reprehenderat, referri possit an ad alium auctorem, incertum est[1]).

Neque vero in suspenso relinquendum est, cui rerum scriptori ea, quae de Philippi morte in capite VI narrantur attribuenda sint. Hic enim Philippus appellatur iudex iniquus, ut de Theopompo, illius obtrectatore, cogitare liceat, atque omnia, quae hoc capite legimus, optime quadrant ad talem auctorem, qui suae aetatis res gestas descripsit. Accedit aliud. Plenam mirabilium rerum de illius nece narrationem invenis apud Diodorum (XVI, 91—94). Quem secutum esse Duridis historialas demonstravisse mihi recte videtur Schubert (p. 15 sq.). Idem iam vidit singula verba atque singulas sententias hausta esse ex eo rerum scriptore, quem adhibuit Trogus. Atque haec ita sunt cum Duridis narratione conexa,

[1]) Si haec paragraphus assignanda est ei, etiam Pausan. VII, 10, 3 ad eum referre licet. cf. Riese, l. c. p. 681. De Theopompi Lacedaemoniorum favore cf. Riese p. 676.

ut eius quasi fundamentum sint, quod ille mirabilibus atque variis rebus exornavit. Itaque existimaverim ea verba, quae congruunt cum Iustinianis, non a Diodoro coniuncta esse cum Durideis, sed Duridem ipsum eis usum esse. Cuius ex fragmentis 5 et 8 concludi licet eum adhibuisse Theopompum[1]). Itaque hinc aliud lucramur argumentum, quod cum eo, quod ex § 8 cepimus, optime congruit.

Quibus ex auctoribus pendeant ea, quae legimus capite septimo, perquirere non audeo, quia nulla fere subsidia habemus ad hanc quaestionem diiudicandam[2]). Atque incertum est utrum ex his verbis „Creditum est etiam inmissum ab Olympiade, matre Alexandri, fuisse, nec ipsum Alexandrum ignarum paternae caedis extitisse" et „His stimulis irarum utrique . . . . impulisse credebantur" et „Olympias certe fugienti percussori etiam equos habuit praeparatos" sumere possimus complures hoc in capite fontes compilatos esse ab eo auctore Graeco, quem secutus est Trogus, an ea attribuenda sint uni auctori primario. Cuius nomen omnino ignoramus. Ea vero, quae de Olympiadis facinoribus proferuntur, adeo non abhorrent ab eius moribus, ut ne hoc quidem diiudicemus aberraveritne hoc loco ille auctor a veritate necne. Hoc unum quidem sequitur cum toto ex capite tum ex §§ 10—14 hunc rerum scriptorem minime Olympiadi favisse.

Iam ad caput extremum accedo, ubi primum quidem Pompeius Trogus summatim complexus est Philippi mores. Complura hic nobis occurrunt vestigia Theopompi certa[3]). Primum non dubito, quin ad eum spectent haec verba „rex armorum quam conviviorum studiosior". Scimus enim eum

---

[1]) Schubert, p. 19.

[2]) De rixa inter Alexandrum et Attalum orta cf. Satyri fragm. 5 et Plut. Alex. 9.

[3]) Theop. fragm. 111, 126, 127, 128 velim conferas cum exeunte prologo IX et cum ineunte prol. X, ubi de rebus Cypriis verba fiunt. Etiam his libris Trogum adisse Theopompum verisimile est, quanquam non eodem ordine quo Theopompus res Cyprias descripsit. Debeo haec Wilckenio.

Philippi virtutem laudibus extulisse (Theop. frgm. 27, 28). Atque saepe Theopompus fecit verba de illius aliorumque conviviis (cf. Theopomp. fragm. 124, 135, 178, 249). Itaque mirum non est, quod Theopompus in comparationem vocavit illius „arma“ et „convivia“. Deinde scripsit Iustinus „Divitiarum quaestu quam custodia sollertior. Itaque inter cotidianas rapinas semper inops erat“. Quibuscum optime consentiunt haec Theopompi verba, quae tradidit Athenaeus in libro quarto „*Φίλιππος ἐπεὶ ἐγκρατὴς πολλῶν ἐγένετο χρημάτων, οὐκ ἀνάλωσεν αὐτὰ ταχέως, ἀλλ᾽ ἐξέβαλε καὶ ἔρριψε*“ e. q. s. (fragm. 249). Cum vero legamus „misericordia in eo et perfidia pari iure dilectae“ meminimus Iustinum narravisse (VII, VI, 16) Philippum adversus hostes mitem fuisse. Haec autem deprompta erant ex Theopompo (cf. pag. 59). Eundemque saepissime in Philippi perfidiam invectum esse commemoravi supra saepius. Atque quotiens eum obiurgavit, quod nemini fidem praestitisset! Itaque etiam §§ 8 et 9 ad eius *Φιλιππικά* referam. Neque male quadrant haec verba „Amicitias utilitate, non fide colebat“ ad Theopompi fragm. 27, ubi legimus „*ἀδικώτατον δὲ καὶ κακοπραγμονέστατον περὶ τὰς φίλων κατασκευάς*“. Ut Iustinus verbis „eloquentia [et] insignis oratio“ ita Theopompus commemoravit Philippi facultatem dicendi his verbis „*τοῦτον δὲ δυνατώτατον ἐν λόγοις*“ (fragm. 28)[1]).

Denique sequitur *σύγκρισις*, quae vocatur, Philippi et Alexandri, ubi illius mores eundem in modum quo supra describuntur[2]). Atque Theopompum fere integrum deprehendimus, cum legamus haec (Iust. IX, VIII, 15) „Patri mos erat etiam de convivio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se temere offerre“. Quo-

[1]) Haec verba (§ 7) „Nulla apud eum turpis ratio vincendi“ ob totius loci conexum vertenda esse puto „Keine Art und Weise zu siegen hielt er für schimpflich“. Aliter censet Schubert (p. 27), cui obstant ea, quae legimus in § 12.

[2]) Cum verbis „Vini nimis uterque avidus“ conferas quaeso Theop. fragm. 27 „*ἐκπαθῆ γεγονότα καὶ πρὸς τὰς ἀκρατοποσίας*“ et fragm. 179 „*φιλοπότης ἦν*“. Cf. etiam fragm. 136.

cum loco ad verbum fere congruunt haec Theopompi „Κἂν ἄλλῳ μέρει τῆς ἱστορίας γράφει, Φίλιππος ἦν τὰ μὲν φύσει μανικὸς καὶ προπετὴς ἐπὶ τῶν κινδύνων, τὰ δὲ διὰ μέθην· ἦν γὰρ πολυπότης, καὶ πολλάκις μεθύων ἐξεβοήθει (fragm. 298).

Utrum omnia, quae altera huius capitis parte proferuntur de Philippo, ex Theopompo sumpta sint necne incertum est. Hoc unum quidem constat nihil in eis inveniri, quod eis obstet, quae de Philippo scripsit Theopompus. Quanquam persuasum habeo hunc in extremo Φιλιππικῶν libro summatim complexum esse Philippi mores atque indolem, tamen affirmare nequeo eum etiam eius modi σύγκρισιν conscripsisse. Immo vero ille locus apud Athenaeum servatus (fragm. 298) non videtur sumptus esse ex συγκρίσει quadam, quod maiore iure negaremus, si libri numerus traditus esset, unde excerptus est. Neque ullum habemus Φιλιππικῶν fragmentum, ubi Alexander Magnus, Macedonum rex, commemoratur. Neque quicquam lucramur ex eo, quod huius συγκρίσεως auctor minime Alexandro favit (cf. in primis §§ 15, 16, 17). Scimus enim Theopompum non solum ἐγκώμιον, sed etiam ψόγον composuisse Ἀλεξάνδρου [1]). Quibus causis commotus existimaverim hanc σύγκρισιν ad eum non esse referendam. Atque a multis scriptoribus et rhetoribus Philippum cum Alexandro comparatum esse iam supra commemoravi [2]). Et multa in hac comparatione rhetorice dicta esse nemo non videt. Fortasse non aliam ob causam composita est nisi ut ea, quae de Alexandro traduntur proximis libris, optime coniungerentur cum narratione rerum a Philippo gestarum, fortasse eam conscripsit is auctor Graecus, quem secutus est Trogus fortasse hic ipse, quanquam non praetermittam praeter hanc nullam apud eum inveniri σύγκρισιν [3]). Hoc quidem constat

---

[1]) Cf. Riese, l. c. p. 679.

[2]) Cf. p. 40 sqq.

[3]) Etiam raro summatim complexus est Pompeius Trogus virorum clarorum mores (cf. Iust. IX, VIII; XII, XVI; XXIII, IV; XXV, V; XXXII, IV;

non solum in priore capite VIII, sed etiam in hac συγκρίσει multa inesse Theopompea.

Ut autem paucis verbis complectar, quae hac dissertationis parte exposui, mihi certis atque firmis argumentis videor demonstravisse hos Trogi de Philippo libros in primis petitos esse ex Theopompi Philippicis Historiis, pauca vero ex alio opere, cuius auctor non infestus erat Atheniensibus. Compluribus autem ex locis apertum est quomodo Trogus ipse studuerit libros suos ornare arte rhetorica.

XLIV, II), quos satis inepte descripsit, si excipis ea, quae de Philippi, Alexandri (XII, XVI), Pyrrhi (XXV, V) indole protulit.

Pars IV.

De Anaximenis Lampsaceni scriptis historicis.

Anaximenes Lampsacenus tria composuit opera historica[1]), quae inscripta erant *Ἑλληνικά, Φιλιππικά, τὰ περὶ Ἀλέξανδρον.* Cum in Didymi commentario *Ἑλληνικά* non commemorentur, primum accedamus ad *Φιλιππικά.*

In Did. col. 8, 15, ubi de legationibus a rege Persarum et a Philippo Athenas a. 344/343 missis verba fiunt, legimus haec „*ἀφηγοῦνται ταῦτα Ἀνδροτίων, ὃς καὶ* [.......*Ἀνα*] *ξιμένης*"[2]). Cum sciamus ab Anaximene *Ἑλληνικά* usque ad pugnam apud Mantineam commissam tantum et ad Epaminondae mortem deducta esse (Diod. XV, 89) neque veri simile sit eum in libro, cui erat nomen *τὰ περὶ Ἀλέξανδρον*, de rebus anno 344/343 gestis egisse, dubitari non potest, quin hoc fragmentum depromptum sit ex historiis Philippicis, ubi rationes, quae inter Athenienses et Philippum intercesserant, ei exponendae erant.

Accedunt duo fragmenta ex eodem opere sumpta, quae afferuntur in col. 6, 60 et col. 11, 10[3]). Quod opus altero Didymo loco inscribitur *Φιλιππικά* (col. 11, 10), altero loco usurpatur plenior titulus *αἱ περὶ Φίλιππον ἱστορίαι*[4]). Sed videamus de oeconomia operis.

---

[1]) De Anaximenis scriptis historicis cf. Brzoska, Pauly-Wiss. R.-E. I p. 2095, et Reichmann, De Anaxim. Lamps. vita et scriptis, Berol. 1895 (diss.).

[2]) De hoc loco cf. Croenert, l. c. p. 385.

[3]) Cf. etiam col. 10 b.

[4]) Ad similitudinem libri *τὰ περὶ Ἀλέξανδρον* affertur titulus *τὰ περὶ Φίλιππον* in fragm. 9 (cf. Reichmann. l. c. p. 58).

Ex libro primo servatum est fragmentum s. v. πεζέταιρος apud Harpocr. (Phot., Suid.) traditum, ubi narratur ab Alexandro quodam nobilissimos equitare assuefactos ἑταίρους, reliquos pedestri exercitui adscriptos πεζεταίρους appellatos esse. Qui utrum sit Alexander I, Amyntae filius, ut putavit Mueller, an Alexander II, Amyntae filius, quod proposuerunt J. G. Droysen et Schaefer, an Alexander Magnus, quod Abel, H. Droysen, Reichmann voluerunt, ex Harpocrationis verbis concludi nequit [1]). Nomen autem traditum mutandum esse in Ἀρχέλαος contendit Koehler. Ad Philippi Alexandrique aetatem fragmentum pertinere, qua exercitus Macedonum restitutus sit, putat Kaerst [1]). Atque primum redarguam Reichmannum Abelii sententiam defendentem. Scripsit enim Harpocrationem, si Alexandrum Amyntae filium dixisset, vix patris nomen omissurum et tempus accuratius significaturum fuisse. Ad Alexandrum Magnum solum illud nomen referendum esse, qui copiis Persarum Macedonibus insertis secundum Arrianum (Anab. VII, 11, 3) eadem nomina indidisset atque illis. Sed Reichmannum falso de Harpocrationis ratione scribendi iudicavisse puto, qui non ex ipsis rerum scriptoribus, sed ex grammaticis et lexicographis sua excerpere solebat. Deinde ad Persas exercitui Macedonum insertos Anaximenis verba spectare non possunt, quod pertinent ad exercitum novis institutis formatum. Apud Arrianum autem legimus ab Alexandro Magno Macedonum instituta translata esse ad Persas. Itaque de eis dici non potuerunt haec „ἔπειτα τοὺς μὲν ἐνδοξοτάτους ἱππεύειν συνεθίσας ἑταίρους προσηγόρευσεν“, quod notum est Persarum exercitum in primis viguisse equitatu et nobiles solitos esse in pugnis equis uti [2]). De Persis igitur omnino

---

[1]) Mueller, Fragm. Hist. Alex. Magni p. 36. Anax. fragm. 7. J. G. Droysen, Gesch. d. Hellenism. I² p. 83, 1. Abel, Macedon. v. König Philipp. Leipz. 1847, p. 131, 1. H. Droysen, Griech. Kriegsaltert. p. 108, 1. Reichmann, l. c. p. 63, U. Koehler, Maked. unter König Archelaos, Sitz.-Ber. d. Berl. Akad. 1898 p. 493—495, Kaerst, Gesch. d. hellen. Zeitalters I p. 136.

[2]) E. Meyer, Gesch. d. Altert. III, p. 35, p. 76.

cogitari non potest[1]. Immo vero hoc fragmentum referendum est ad eam aetatem, ubi exercitus Macedonum a rege denuo constitutus est. Quod iam ante Alexandrum Magnum factum esse notum est[2]. Eis autem causis, quibus Kaerst Koehleri sententiam refutavit, qui ab Archelao exercitum ita institutum esse putavit, nihil, ne sim longus, addam. Neque vero cogimur cum Kaerstio ipso (l. c. p. 115, 3) illud fragmentum ad Philippum referre. Ille enim iam paulo postquam rex factus est exercitu optime instructo victor hostibus restitit. Rectius igitur videtur mihi iudicavisse Schaefer[3], qui putat ab Alexandro II, fratre Philippi maiore, exercitum ita institutum esse. Qui quanquam non multo diutius quam unum annum regnavit, tamen fortem atque strenuum se praestitit[4]. Quodsi consideraveris ab Iphicrate et Epaminonda tunc totam rem militarem commutatam atque novis institutis exstructam esse, intelleges veri simile quidem esse ad Alexandrum II spectare hoc fragmentum. Quo accedit, quod Anaximenem primo *Φιλιππικῶν* libro res Macedonicas tantum usque ad Philippi III regni initium gestas tractavisse probabile est[5].

Eis autem, quae de Anaximenis fragmento 8 ex primo libro sumpto conscripsit Reichmann, nihil addam. Quae de fragmentis in papyro Berolinensi 5008 traditis[6] dicenda erant

---

[1] Concidit igitur Reichmanni argumentum, quo demonstrare studuit *Φιλιππικά* post annum, ubi Persae in Alexandri exercitum recepti sunt, conscripta vel edita esse. Rectius ea post a. 330 scripta vel retractata esse cogitavit Wendland (Anaxim. v. Lamps. p. 12 = Herm. v. XXXIX. 1904, p. 430), quod Anaximenes usus est Demosthenis oratione de cor. habita.

[2] Cf. Kaerst, l. l. p. 115, 3, 135.

[3] Schaefer, l. c. II, 36, 2.

[4] Kaerst, I p. 132, Niese, Gesch. d. gr. u. maced. Staaten I p. 27.

[5] Fr. Blass, Neue Papyrusfragm. im Ägypt. Mus. zu Berlin. Herm. XVII, 1882, p. 154.

[6] Extant in ea lexici ad Dem. orat. in Aristocr. hab. explicandam compositi fragmenta. Blass, l. c. p. 150 sqq. Arch. f. Pap.-Forsch. III

cum viri docti iam protulerint, libri 4 fragmenta 9 et 10 commemoro, quae ad ol. 106, 4 spectant[1]). Tractanda autem sunt fragmenta in Did. col. 8, 15 et 6, 60 servata, quorum alterum ad eam legationem pertinet, quam Lycisco archonte (a. 344/343) rex Persarum Athenas misit. Altero de morte Hermiae agitur, quod ex sexto libro sumptum esse Didymus affirmat (col. 6, 61). Cum vero hunc hieme 342/341 a Mentore Rhodio sublatum esse Koerte[2]) firmis argumentis demonstraverit, dubium non est, quin ex eodem libro alterum quoque fragmentum in col. 8, 15 traditum depromptum sit. Quod si recte conieci, in ea *Φιλιππικῶν* parte, quae fuit inter hoc et decimum fragmentum res ol. 107 et 108 (a. 352/351—345/344) gestae narratae erant. Septimo deinde in libro descriptum erat bellum a Philippo Thracibus a. 342/341 illatum, quod compositum est a. 340/339. Qua ex narratione relictum est fragmentum 11 apud Harpocrationem s. v. *Μάστειρα* relatum[3]). Eidemque libro inserta fuit Demosthenis quae fertur oratio in Philippi epistulam habita[4]). Neque dubito, quin eodem in libro exstiterit non solum Philippi quae vocatur epistula si iure Anaximeni attribuitur[5]), sed etiam narrationis belli contra Perinthios et Byzantios gesti pars prior. Neque vero mirum est eum libris suis iniecisse Philippi epistulam et orationem in illam habitam, cum etiam Thucydides atque alii rerum scriptores orationes atque epistulas libris suis infigere soliti sint atque Anaximenes in primis fuerit rhetor.

Ex octavo autem libro deprompta sunt fragmenta 12 et

---

p. 292. Reichmann, l. c. p. 64 sqq. Hoeck, Herm. XXVI, 1891, p. 95. Conferas etiam V. Strazzulla, Klio III, 1903 p. 325, Hoeck, Klio IV, p. 265.

[1]) Schaefer, I² p. 507, II² p. 28, 2. Reichmann, l. c. p. 65.

[2]) A. Koerte, N. Rh. Mus. LX, 1905, pag. 395.

[3]) De hoc nomine cf. Schaefer, II² p. 447, 4.

[4]) Did. col. 11, 10. Wendland, l. c. p. 1—12; Nitsche p. 79, p. 85; Foucart l. c. p. 78 sqq. In Did. col. 11, 11 legendum esse *καὶ γὰρ δὴ* nuperrime monuit W. Croenert, Gött. Gel. Anz. 1907, p. 267.

[5]) Wendland, l. l. p. 17. Nitsche, l. l. p. 81, 153, 173. Foucart, l. c. p. 91.

13 ap. Harpocr. s. v. *Καβύλη* et *Μύρτανον* tradita[1]), ex quibus apparet posteriorem belli Thracii partem ibi descriptam esse. Cum veri simile quidem sit, etiam res ab hieme anni 340/339 usque ad aestatem anni 338 contra Athenienses atque Thebanos gestas eodem in libro narratas esse, minime est probabile[2]) eodem in libro etiam res a pugna apud Chaeroneam commissa usque ad Philippi mortem gestas explicatas esse[3]), praesertim cum ex fragmentorum et rerum ordine, quem modo exposui, intellegamus Anaximenem eo copiosius atque uberius sua composuisse, quo posteriores erant res gestae, quas descripsit.

Cui autem libro attribuendum sit id fragmentum, quod apud Harpocrationem et in lexico ad Dem. orat. Aristocr. scripto s. v. *ὁ κάτωθεν νόμος* traditum est, ignoramus. Reichmanno autem adverser, quod putat Ephialtem, quem Anaximenes testatur axes et cyrbes ex arce in curiam et forum transtulisse, fuisse Demosthenis aequalem. Neque enim dubium est, quin hoc fragmentum pertineat ad Ephialtem, Cimonis aemulum[4]).

Transeamus ad Anaximenis libros, qui inscripti erant
τὰ περὶ Ἀλέξανδρον.

Servatum est ex primo libro fragmentum Muell. 15 a. Harpocr. s. v. *ἀκινάκης* traditum.

Atque eidem libro attribuit Mueller illud fragmentum[5]), quo copiae, quas Alexander in Asiam transportavit, enumerantur. Secundo autem ex libro deprompta sunt haec verba[6]), quae

---

[1]) Reichmann, l. c. p. 69.

[2]) Aliter iudicavit Foucart (p. 135) „Ces indications, rapprochées des fragments déjà connus, font penser que l'Histoire de Philippe n'avait pas plus de huit livres".

[3]) Anaximenis *Φιλιππικά* habuisse puto duas pentadas.

[4]) Swoboda, Paulyi-Wiss. Real-Encykl. V p. 2851; Philippi, Areop. u. d. Ephet. p. 251, 357 A; E. Meyer, Gesch. d. A. III p. 570; Busolt, Gr. Staatsaltert. 152, 6, cui obloquitur Wachsmuth, Stadt Athen I p. 536.

[5]) Plut. De fort. Alex. I, 3.

[6]) R. Geier, Alex. Magni hist. script. aet. suppares, p. 286.

legimus a. Harpocr. s. v. *Ἀλκίμαχος* . . . *Ἀναξιμένης δὲ ἐν τῇ β' τῶν περὶ Ἀλέξανδρον ἀνέγραφεν αὐτοῦ δημηγορίαν, πρὸς ἣν ἀντειπεῖν φησὶ Δημοσθένην* (Muell. fragm. 17)". Quo anno Alcimachus Athenas venerit dissentiunt viri docti. Geier, Mueller[1]), Brzoska[2]) censent eum ante Thebarum excidium eo missum esse, Schaefer[3]), Reichmann[4]), Kirchner[5]) hoc fragmentum spectare ad ol. 111, 4 (a. 333/332). Horum sententiam nunc secutus est Koerte[6]), cum ad hanc quaestionem diiudicandam nobis subvenire visus sit Didymus, qui in col. 9, 43 haec profert „*Δύο Ἀριστομήδεις εἰσίν, ἕτερος μὲν ὁ Φεραῖος* . . . . *τῷ Ἀλεξάνδρῳ δὲ περὶ Κιλικίαν ἀντιταξάμενος σὺν Δαρείῳ εἰς Κύπρον διέδρα καθά φησιν Ἀναξιμένης ἐν τῇ θ' τῶν περὶ Ἀλέξανδρον*". Quibus e verbis elucet Anaximenem nono libro pugnam apud Issum commissam et res post eam gestas descripsisse. Quod si verum est, vix potuit fieri, ut ea legatio, qua Alcimachum anno 333/332 functum esse Schaefer ceterique putant, in secundo libro enarraretur. Neque enim potest existimari Alexandri pueritiam atque res inde ab anno 336 usque ad annum 333 gestas duobus libris, res autem anno 333/332 gestas quinque minimum libris expositas esse.

Nonne veri multo est similius hoc fragmentum spectare ad legationem, quam Alcimachus post Thebarum expugnationem administravit? Haec mihi concedenda esse persuasum habeo, si iure e fragmento apud Didymum tradito conieci Anaximenem fuisse tam copiosum, ut in nono tandem libro pugnam apud Issum commissam enarraret.

At hoc negat Koerte, qui dicit illius *περὶ Ἀλέξανδρον* historias minime tam plenas fuisse, cum nullum fere aliud earum vestigium inveniatur nisi illa pauca atque exigua frag-

---

[1]) Mueller, Alex. Magni hist. script. p. 38, fragm. 17.
[2]) Brzoska, Paulyi-Wiss. R.-E. I p. 2096.
[3]) Schaefer, l. c. III² p. 32, 2; 174, 3.
[4]) Reichmann l. c. p. 74.
[5]) Kirchner, Paulyi-Wiss. I, 1540, s. v. Alcimachus.
[6]) A. Koerte, N. Rh. Mus. LXI, (1906), p. 476.

menta. Atque cum nolit illud ἐν ϑ′ τῶν περὶ Ἀλέξανδρον mutare, studet totam hanc quaestionem alio modo solvere. Contendit enim nixus his Pausaniae verbis[1]) „ὅς (Anaximenes) τὰ ἐν Ἕλλησιν ἀρχαῖα καὶ ὅσα Φίλιππος ὁ Ἀμύντου καὶ ὕστερον Ἀλέξανδρος εἰργάσατο συνέγραψεν ὁμοίως ἅπαντα" eius libros ad Philippum et Alexandrum Magnum pertinentes ita numeratos esse, ut primus τῶν περὶ Ἀλέξανδρον esset nonus totius operis. Sed cur apud Didymum legimus ἐν τῇ ϑ′ τῶν περὶ Ἀλέξανδρον non ἐν τῇ ϑ′ τῶν Φιλιππικῶν aut ἐν τῇ ϑ′ τῶν Μακεδονικῶν? Cur in nullo alio fragmento invenitur titulus Μακεδονικά?

Immo vero Koertii sententiam certo argumento refutare possumus. Iam supra demonstravi Anaximenis Φιλιππικι ita disposita fuisse, ut octavo libro res anno 340/339 gestae et fortasse pugna apud Chaeroneam commissa narrarentur. Nequaquam eodem libro omnia, quae extremo anno 338 et annis 337 et 336 accidebant, illum complecti potuisse apparet, praesertim cum sciamus eum eo uberius de rebus gestis disputasse, quo magis appropinquavit ad extremam Philippi aetatem. Si vero Koertium sequeremur non solum extremae illius res gestae, sed etiam omnia, quae Alexander ante pugnam apud Issum commissam perfecerat, extremo libro octavo et initio noni libri assignanda essent. Hoc minime est probabile. Itaque primus τῶν περὶ Ἀλέξανδρον liber nullo modo potest esse nonus τῶν περὶ Φίλιππον.

Huc accedit, quod etiam aliunde cognoscimus Anaximenis res gestas Alexandri satis copiosas fuisse. Legas quaeso fragmentum 17, ex quo apparet eum, ut rhetoricis artibus uti solebat, Alcimachum et Demosthenem fecisse contionantes[2]). Fortasse etiam ex eo aliquid colligere licet, quod Plinius eum laudat in Elench. auct. libr. XII et XIII, ubi de arboribus Asiae agitur. Neque miramur, quod tanta ubertate res Alexandri descripsit, quippe qui eum in Asiam profectum comitatus

[1]) Pausan. XVIII, 2.

[2]) Wendland, Anaxim. v. Lampsacus p. 4, 2.

omnia, quae fiebant, satis cognosceret[1]). Quodsi meminerimus Theopompum duodesexaginta libros de rebus a Philippo gestis conscripsisse atque Anaximenem semper fuisse illius aemulum[2]) et epistulas et orationes suis scriptis inseruisse, facile nobis persuadebitur librorum numerum operis *τὰ περὶ Ἀλέξανδρον* inscripti fuisse satis magnum.

Quomodo autem factum sit, ut perpauca tantum illius extent vestigia, paulo infra sum demonstraturus. Sed redeo ad Alcimachi legationem. Ii, qui putant eum a. 333/332 Athenas missum esse, censent eum fuisse inter legatos, qui ol. 111, 4 (a. 333/332) naves longas ab Atheniensibus peterent. Neque vero constat eos tum missos esse. Quod mihi concedes si inspexeris ea, quae hac de legatione relata sunt in vit. X orat. pag. 847 c et 848 d et in Plutarchi vitae Phocionis cap. XXI. Atque multo veri est similius haec omnia spectare ad id tempus, ubi Alexander post Thebarum excidium Atheniensium duces exigebat, quam ad annum 332. Iam initio belli Persici viginti eorum trieres in eius navibus erant, quae etiam post pugnam ad Granicum commissam retinebantur[3]). Nonne hoc facile cum illis locis coniungi potest?

Atque illud argumentum, quo plerosque eorum, qui putaverunt Alcimachum anno 333 Athenas venisse, nixos esse existimo, ipse delevit Koerte. Dico illam inscriptionem[4]), qua Alcimacho cuidam civitatem Atheniensium anno 333/332 datam esse confirmatur. Alexandri enim legatus Alcimachus erat filius Agathoclis (Arr. anab. I, 18, 1), at in inscriptione legitur *Ἀλκιμάχῳ Ἀλ*[. . .[5]). Itaque censeo eum post Thebarum excidium Athenas missum esse, ut ab eis naves posceret, quod Anaximenes in secundo libro exposuit[6]).

---

[1]) Suid. s. v. *Ἀναξιμένης*.

[2]) Brzoska, l. c. p. 2087.

[3]) Diod. XVII, 22. Beloch, Gr. Gesch. II p. 629.

[4]) I. G. II, 227.

[5]) Huc accedit, quod in inscriptione scriptum extitit aliud ethnicon ac *Μακεδών*. cf. Koerte, l. c. p. 478.

[6]) Ipse Schaefer scripsit haec (III ², p. 174, 3) „Es liegt sehr nahe

Quod si evici, fragmentum 15, ubi copiae, quas Alexander in Asiam traiecit, enumerantur, non primo, sed secundo libro attribuendum et post fragmentum 17 inserendum est.

Redeundum est ad fragmentum illud apud Didymum traditum, quo commemoratur Aristomedes Pheraeus, qui ut Apollodorus Atheniensis una cum satrapis Artaxerxe Ocho imperante Perinthios adiuvit[1]). Hoc autem fragmento confirmatur quod Arrianus et Curtius[2]) tradiderunt Aristomedem in pugna apud Issum commissa Persarum peditatui praefuisse et cum ceteris Graecis ducibus Tripolim, deinde Cyprum confugisse. Tum in Aegyptum se contulit ubi eum cum Amynta eiusque mercennariis ab Aegyptiis interfectum esse veri est simile[3]).

Cum iam antea ex uno illo fragmento s. v. *ὁ κάτωθεν νόμος* tradito[4]) apparuerit Didymo Anaximenis libros notos fuisse, ex ipso commentario elucet eum saepius illis usum esse. Quod in fragmentis s. v. *Ἀμφικτύονες* (fr. Muell. 2), s. v. *Ἀρχιδάμιος πόλεμος* (fr. 6), s. v. *πεζέταιρος* (fr. 7), s. v. *Ἁλόννησος* (fr. 10), s. v. ***Μάστειρα*** (fr. 11), s. v. ***Καβύλη*** (fr. 12), s. v. ***Μύρτανον*** (fr. 13), s. v. *ἀκινάκης* (fr. 16), s. v. *Ἀλκίμαχος* (fr. 17) traditis ab Harpocratione, quem in primis ex Didymo hausisse scimus, similem scribendi rationem, qua hic uti solebat, invenimus atque eosdem auctores, qui in huius scriptis laudabantur, non dubitabimus, quin omnia haec fragmenta per unum Didymum ad Harpocrationem pervenerint[5]). Quo-

---

diese Forderung Alexanders mit den nach dem Falle Thebens gepflogenen Unterhandlungen in Verbindung zu setzen, da aber u. s. w."

[1]) Cf. pag. 43.

[2]) Arr. anab. II, 13, 2. Curt. Ruf. III, 9, 3. Droysen, Gesch. d. Hellen. I p. 259; 268. Kirchner, Paulyi-Wiss. R.-E. II, 941.

[3]) E. Keller, Alex. n. d. Schlacht b. Issos bis z. s. Rückkehr a. Aegypten p. 21.

[4]) Cf. pag. 79.

[5]) Iam ante hoc commentarium repertum erat notum Didymum etiam ex Androtionis libris hausisse. Legimus enim in schol. Arist. av. 13 „*οὐκ τῶν ὀρνέων, Δίδυμος δὲ . . . καθὰ καὶ Ἀνδροτίων φησίν*“ et ap. Steph. Byz. „*Οἰνοῦς . . . ὡς Ἀνδροτίων καὶ Δίδυμος*“, ubi illud *Ἀνδρο-*

rum plurima videntur esse deprompta ex eius in Demosthenem commentariis ut fragm. 7 s. v. *πεζέταιρος* (*Δημοσθένης Φιλιππικοῖς*), fragm. 11 s. v. *Μάστειρα* (*ἐν η΄ Φιλ. Δ.*),

---

τίων καὶ Δίδυμος sic interpretandum est „Androtio cuius testimonio hic usus est Didymus". Cum vero ex hoc commentario intellegamus hunc saepe ex illo hausisse, non dubitem, quin etiam multa alia illius fragmenta per commentarios Didymeos ad nos pervenerint. In primis ea videntur per Didymum solum servata esse, quae apud eos auctores inveniuntur, qui eius libros expilaverunt, quaeque exhibent eandem interpretandi rationem, qua ille usus est. Itaque ad Didymi libros in Demosthenem aliosque rhetores scriptos referam fragmenta 1, (3), 5, 10, 11, 12, 17, 23, 27, 50, 51 atque ad eius studia in comicos et tragicos poetas collata fragm. 4, 47, 13, 46, 42, 43, 29, 32, 45. Exque eius libellis in alios poetas conscriptis excerpta puto esse fragm. 31, 38, 28. Neque dubito quin etiam fragm. 59 in Etym. Magno et ap. Hesych. relatum ex Didymo depromptum sit. Multa Androtionis fragm., quae tradita sunt a Steph. Byz., quanquam singula firmis atque luculentis argumentis ad eum referre non possumus, per Didymum servata esse apparet ex fragm. 58 „*Οἰνοῦς . . ὡς Ἀνδροτίων καὶ Δίδυμος*". Atque illa octo fragmenta, ubi Androtionis Atthis una cum Philochori laudatur [Philoch. fragm. 122, 130a, 133, 150, 153, 63, (64), 17, (59)], per Didymum censeo ad nos pervenisse. Ita enim sunt conscripta, ut a Didymi ratione interpretandi non abhorreant. Quo accedit, quod etiam eorum sermo, quantum intellegimus cum Didymeo congruit. Compares quaeso haec Philoch. fragm. 130a „*ὡς συνιδεῖν ἔστι*" cum Did. col. 13, 40 „*συνίδοι τις ἄν*" (et Did. col. 1,29 „*ἄν τις συνίδοι*"), Philoch. frg. 133 „*ἐντελέστατα διείλεκται περὶ τῶν διαψηφιστῶν*" cum Did. col. 12, 42 „*ἐντελῶς*", col. 7, 66, ‚*περὶ ἧς ὁ Φιλόχορος διείλεκται*", col. 9, 45 „*περὶ οὗ διείλεκται*", col. 14, 35 „*διείλεκται δὲ περὶ ταύτης τῆς ὀργάδος καὶ Ἀνδροτίων*", Phil. fragm. 150 „*καθά φησι Α. τε καὶ Φιλόχορος*" cum Did. col. 9, 51 „*καθά φησι Ἀναξιμένης*".

Septimi Androtionis libri adhuc notum erat fragm. 24, quo demonstratur in hoc libro narratam esse Onomarchi victoriam ol. 106, 4 (a. 353/2) de Thebanis et Coroneis reportatam. Accessit nunc fragm. in Did. col. 14, 36—14, 49 relatum, quod ad annum 350/349 pertinet. Atque veri est simile libri octavi fragm. ap. Steph. Byz. s. v. *Ἀκόντιον* traditum spectare ad res anno 348 in Euboea gestas. Neque caret omni probabilitate Schwartzii sententia (Paulyi-Wiss. R.-E. I p. 2174), qui in fragm. s. v. *διαψήφισις* ap. Harpocr. servato proposuit „*Ἀνδροτίων ἐν τῇ ι΄ Ἀτθίδος*" pro „*Ἀνδροτίων ἐν τῆι Ἀτθίδος*". Quam civium recensionem Archia archonte anno 346/345 institutam esse scimus. Ad Lyciscum certe archontem (a. 344/343) eius Atthis producta est (Did. col. 8, 14).

fragm. 12 s. v. *Καβύλη* (*Δ. ἐν η' Φιλ.*), fragm. 13 s. v. *Μύρτανον* (*Δ. ὑπὲρ Κτησιφῶντος*), fragm. 14 s. v. *ὁ κάτωθεν νόμος* (*Δ. ἐν τῷ κατ' Ἀριστοκράτους*), fragm. 16 s. v. *ἀκινάκης* (*Δ. ἐν τῷ κατὰ Τιμοκράτους*), fragm. 17 s. v. *Ἀλκίμαχος* (*Δ. ἐν τῷ κατ' Εὐέργου καὶ Μνησιβούλου*). Ad illius autem studia in Aeschinis orationem Ctesiphonteam collata videtur spectare fragm. 10 ap. Harpocr. s. v. *Ἁλόννησος „νησύδριον ἐν τῷ Αἰγαίῳ πελάγει. Αἰσχίνης ἐν τῷ κατὰ Κτησιφῶντος . . . .“* traditum atque ex eius commentariis in alios oratores conscriptis depromptum videtur esse fragm. 6, quod legimus apud Harpocr. s. v. *Ἀρχιδάμειος πόλεμος. Λυσίας ἐν τῷ κατ' Ἀνδροτίωνος καὶ Δείναρχος*[1]) *κατὰ Πυθέου ξενίας. τὰ πρῶτα δέκα ἔτη τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου . . . . καθὰ Θουκυδίδης καὶ Ἔφορος καὶ Ἀναξιμένης φασίν*, qui auctores etiam alibi a Didymo laudantur[2]). Neque ab omni probabilitate alienum est etiam fragm. 1 (Athen. VI, 231 c) et fragm. 8 (ap. Athen. V, 217 D, E servatum) ex eo fluxisse[3]).

Nunc vero quaerendum est cur tam exiguus sit numerus fragmentorum ex Anaximenis scriptis historicis depromptorum, quanquam res copiose enarraverat. Primum quidem commemorandum est eum ab aequalibus atque posteris magni aestimatum non esse. Atque admodum gravia sunt testimonia ab aliis auctoribus cum de aliis eius scriptis tum de libris historicis prolata[4]). Inspicias quaeso in primis ea, quae scripsit Dionysius Halicarnassensis in Isaei cap. XIX[5]). Huc accedit, quod Didymus ipse Callimacheorum iudicium secutus Anaximenis verba ipsa, quanquam eum saepius laudavit, nullo

---

[1]) Cf. Did. col. 9, 54.

[2]) De Thucydide a Didymo laudato cf. M. Schmidt (Did. fragm. p. 334) et Cohn (Paulyi-Wiss. R.-E. V p. 460). Ephorus laudatur etiam in fragm. B lexici ad Dem. orat. Arist. explicandam conscripti, quod ex Didymo derivatum est.

[3]) Ex Theopompo et Marsya etiam alibi Didymus hausit, cum non constet eum usum esse Hieronymo Cardiano et Nicomede Acanthio (F. H. G. IV, 765) cuius duo tantum fragmenta extant.

[4]) Enumerata sunt a Blassio, Gesch. d. att. Bereds. II² p. 382.

[5]) Dionys. Hal. opusc. ed. U.-R. I p. 122.

loco rettulit[1]). Immo vero in col. 6, 60 tam iniquo animo de eo iudicavit, ut scriberet haec „*δόξειε δ' ἂν ἐν[δεῶς]*[2]) *τὰ περὶ αὐτὸν διατεθεικέναι Ἀναξιμένης ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν περὶ Φίλιππον ἱστοριῶν, οὐ τὴν ἐκλογὴν παρίημι· ο[ὐ γὰρ ὄφε]λος*". Videsne etiam de hoc iudicio eum cum Dionysio congruere?[3]) Unde colligere possumus eos Callimacheos secutos esse. Neque cogebantur ex Anaximene haurire, cum de rebus Macedonicis multi alii auctores egissent. Ex quibus eos in primis Theopompum adire solitos esse inde apparet, quod permulta eius fragmenta ab eis scholiastis et lexicographis tradita sunt, quos sua a Callimacheis petivisse constat. Itaque cum ii Anaximenis morem scribendi reiecerint, quorum studiis debemus permagnam partem fragmentorum rerum scriptorum, qui quarto et tertio saeculo scripserunt, mirum non est tam exiguum esse numerum Anaximenis fragmentorum.

---

1) Primus hoc vidit Nitsche, l. c. p. 78.

2) *ἐνδεῶς*, quod proposuit Foucart p. 134, magis videtur mihi ad Didymi sententiam quadrare quam *ἐντελῶς*, quod suppleverunt editores Berolinenses.

3) Diels-Schubart, Berl. Klassikertexte I p. XXXII—XXXV.

Tabula argumenti.

VITA.

Natus sum Gualtharius Florian Lipsiae a. d. IV Kal. Iun. anni 1881 patre Georgio Feodoro, qui in schola Nicolaitana praeceptoris munere fungitur, matre Laura e gente Kuerbs. Hanc praematura morte esse mihi abreptam valde lugeo. Fidem profiteor evangelicam. Puer decem annorum inter discipulos scholae Nicolaitanae receptus magistros egregios nactus sum. Examine pro maturitate academica vere 1901 superato adii hanc litterarum sedem. Docuerunt me vel docent viri illustrissimi Bethe, Birch-Hirschfeld, Brandenburg, Brugmann, Buchholz, Duchesne, Friedberg, Gardthausen, M. Heinze, R. Heinze, Hirt, Hofmann, Holz, Immisch, Jungmann, Kaerst, Koetzschke, Lamprecht, Lipsius, Martini, Marx, Rieker, Schneider †, Schreiber, Seeliger, Seydel, Soerensen, Studniczka, Volkelt, Wachsmuth †, Wilcken, Wundt. Postquam per ter senos menses interfui proseminario philologo auspiciis Immischii, sodalis fui ordinarius seminarii philologi moderantibus Lipsio, Marxio, Wachsmuthio † per duo semestria, seminarii archaeologi moderante Studniczka per quattuor semestria. Benignissime aditum mihi patefecerunt seminarii historici annis 1903 et 1904 Gardthausen, Lamprecht, Brandenburg, Seeliger, Wachsmuth †, annis 1905, 1906, 1907 Lamprecht et Wilcken, cuius exercitationibus hieme 1906 de papyris institutis interfui. Seminarii paedagogici sodalis eram quater per senos menses. Ad proseminarium Graecum comiter admisit me Martini, ad exercitationes archaeologicas Schneider †, ad historicas Koetzschke. Quibus praeceptoribus omnibus gratias habeo quam maximas. In primis vero viros clarissimos, qui consulebant studiis meis summa liberalitate, Lipsium, Studniczkam, Wilckenium, pro variis multisque erga me meritis semper colam pio gratoque animo.

Amicorum in philologorum thiaso Lipsiensi consuetudini multa me debere laetus profiteor.

Typis Reinholdi Berger Luckaensis.

